

Or. 7
7

JOANN. FRID. COTTE
DIEG. TURCENSIS
PROLOGIA SVCCINCTA
DOSSIATIS

VITA AETERNA

TURCENSIS
SVNTY IOANN. GEOORG. COTTE
MDCCCLXXI



IOANN. FRID. COTTÆ

THEOLOGI TVBINGENSIS

HISTORIA SVCCINCTA

DOGMATIS

DE

VITA ÆTERNA



T V B I N G Æ

S V M T V IOANN. GEORG. COTTÆ

M D C C L X X .

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**



HISTORIA SVCCINCTA
DOGMATIS
DE
VITA ÆTERNA.

§. I.

Exspectandum esse post mortalem hancce vitam insignis cuiusdam felicitatis statum, in quo homines probi, quibus in hocce mundo cum variis subinde calamitatum generibus confitendum est, recte factorum acceptu-ri sint præmia, generalis propemodum, apud gentes omnes, tantisper excultas, fuit sententia. Haufisse vi-identur veritatem hancce gravissimam partim ex natu-ralibus iustitiae divinæ notionibus, partim ex antiqua

A 2

qua-

quadam, quæ ad ipsos gentiles dimanavit, traditione. Non opus esse arbitramur, ut eorum hac de re testimonia heic exhibeamus, cum ea dudum in unum collegerint viri doctissimi (1). Nec tamen desierunt inter gentilium philosophos, qui, ut animæ humanae negarunt immortalitatem, ita nulla post hanc vitam admisisse præmia recte censerunt. Notum est illud PLINII: *Omnibus a suprema die eadem, quæ ante primum: nec magis a morte sensus ullus, aut corpori, aut animæ, quam ante natalem; qui & , quæcunque de statu hominis post mortem alias dicuntur, puerilium deliramentorum, avidæque nunquam desinere mortalitatis commenta adpellat* (2). Constat quoque de EPICVRO eiusque discipulis, eos talem in sistema suum introduxisse Deum, qui nulla rerum humanarum cura tangeretur (3), adeoque nec recte facta post mortalem hancce vitam remuneretur, nec scelerata puniat. Stoicos denique, saltim plerosque, æterna præmia pœnasque perennes, ex philosophia sua legibus, iustulisse, animisque immortalitatem derogaſſe pervulgatum est (4).

(1) Fecerunt hoc TOBIAS PFANNERVS in *system. theo-
log. gentilis purioris*, cap. XX. §. XIX. seqq. & PETR.
DAN. HYETIVS, in *quaefitionib. Alnetanis*, libr. II.
cap. XXIV. p. 297. seqq.

(2) Vid. PLINIVM *hist. nat.* libr. VII. cap. LV. p. m.
473, 474.

(3) Hinc SENECA ex mente EPICVRI: *Itaque non dat
Deus beneficia, sed securus & negligens nostri, aversus*

a mundo aliud agit, aut, (quae maxima Epicuro felicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quam iniuriae tangunt; libr. IV. de beneficiis cap. IV. Et cap. XIX. eiusdem libri: *Tu denique, Epicure, Deum inermem facis. Omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuicquam metuendus esset, proieciisti illum extra mundum: Hunc igitur in seipsum ingenti quodam & inexplicabili muro, divisumque a contactu & a conspectu mortalium, non habes, quare verearis, nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio interintervallo huius & alterius caeli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus.* Hisce similia sunt, quæ apud CICERONEM, libr. I. de nat. deorum p. 281. DIOGENEM LAERTIVM libr. X. scđt. LX XVII. aliosque scriptores veteres passim leguntur. Recentiori tamen ætate IACOBVS RONDELVS in libro de vita & moribus EPICVRIS, Amstelodami anno MDCXCIII. edito, ostendere admissus est, falsum esse, quod vulgo traditur, EPICVRVM eiusmodi statuisse Deum, qui nulla rerum humanarum cura tangeretur. Conferenda, quæ de religione EPICVRI differit vir celeb. IAC. BRVCKERVS in *historia critica philosophiae* tom. I. part. II. libr. II. cap. XIII. p. 1240. seqq. & p. 1288. seqq.

(4) Vid. quæ b. BUDDEUS ex M. ANTONINO collegit in *introduc. ad philos. stoicam*, ex mente Antonini, scđt. IV. §. VII. p. 53. Conferenda, quæ b. cancell. MOSHEMIUS hanc in rem adnotavit in *animadvers.* ad CUDWORTHI scđt. intellect. p. 518.

§. II.

A gentilibus eorumque philosophis ad gentem iudaicam nos convertimus. Hæc, divina revelatione collistrata, probe cognitum perspectumque habebat, promissa illa, quæ a Deo acceperat, adeo esse magnifica, ut intra periturae huius & cæducæ vitæ terminos contineri nequeant, sed ad futuram vitam, post mortem exspectandam, sese extendant (1). Nec defuerunt tamen, quod mirum videri poterat, iam olim inter Judæos, qui nulla post mortalem hancce vitam præmia statuerent, quem quidem errorem ex commercio cum gentilibus hauiisse videntur. Horum vestigia in subsequentibus temporibus securi sunt *Sadducæi*, a quodam proptere Zacharia ADDOC, discipulo ANTI-GONI SOCHÆI (2), nomen sortiti. Quum enim ii, qui ex hac prodierunt schola, & animæ immortallitatem, & mortuorum resurrectionem negarent, ut alibi observavimus (3), non poterant utique aliam vel iustitiae mercedem, vel scelerum penam, nisi in hac vita admittere. Nec improbabilis nobis videtur sententia virorum quorundam eruditorum, statuentium, eos, contra quos 1 Cor. XV. disputat gentium apostolus, hac ipsa Sadducæorum hæresi fuisse infectos, ecclesiamque Corinthiacam ævo iam apostolico plurimum turbasse. Ipsa enim, quam sanctissimus Christi legatus loc. cit. cum hominibus istis instituit, disputatio supponit, eos omnem futuræ gloriæ ac felicitatis, tam anima, quam corpore percipiendæ spem penitus abnegasse (4).

(1) Pro-

(1) Promissionem vite æternæ fidelibus vet. testamenti iam obtigisse, in dissertat. nostra superiori anno edita *de vita aeterna* §. XI. & XII. variis sacrarum litterarum oraculis luculenter comprobavimus.

(2) Erat ANTIGONVS Sochaeus discipulus SIMEONIS iusti, floruitque ante C. N. CCC. Unicum eiusdem hodiernum extat dictum, capitulis patrum cap. I. num. 3. inservium, quod hisce conceptum est verbis:

כענדים המשמשין את הרך על מנת לקברך
פרם אלא ההו בענדים המשמשין את הרוב שלא:
על מנת לקברך פרם ויהי מורא שמי' עליכם:

h. e. ne sitis instar mercenariorum, qui domino serviunt, ea conditione, ut mercedem accipient; sed sitis instar serorum, qui serviunt domino, sed non ea conditione, ut accipient mercedem; sitque timor Dei super vos. Quorum quidem verborum sententia, licet ex mente ANTIGONI, nihil aliud, quam timorem amoremque Dei non mercenarium aut servilem, sed filialem intendebat, in perversum ramen sensum a discipulis suis rapta est. Hi enim verba magistri sui ita acciebant, ac si Antigonus statuisse, nulla præmia nec supplicia post hanc vitam expectanda esse, adeoque animam cum corpore interire. Atque hinc impia Sadduceorum & Baithosaeorum, resurrectionem inficiantium, familia suam traxit originem. Utraque vero a binis Antigoni discipulis, ZADDOCO nimirum, cuius supra mentionem fecimus, & BAITHOS, magistri verba minus recte interpretantibus, nomen accepit. Testes huius rei advocamus MAIMONIDEM, ISAACIDEM, GANZIVM, ELIAM LEVITAM, aliquosque gentis iudaicæ doctores, excitatos a b. IO. CHRISTOPH. WOLFIO in bibliothecæ ebraeæ, part. II. p.

814. Fuit tamen, ut nonnulli obseruant, aliqua inter utramque istam *Sadduceorum & Baithosaeorum* sectam differentia. Vid. THEODORICVM HACKSPANIVM in *sylloge p. 13.* seqq. Evolvat, cui volupc est, scriptores, qui de hæresibus iudaicis, ac speciatim Sadducæis, ex instituto egerunt, recensitos a laudatis. WOLFIO loc. cit. p. 815. seqq. & part. IV. bibl. ebr. p. 330. seqq.

(3) Vid. dissert. nostram de *resurrectione mortuorum p. 23.*

(4) Uberius hoc ostendit CAMP. VITRINA observat. sacrar. libr. IV. cap. IX. p. 953. seqq.

§. III.

Neminem tamen novimus ex antiquissimis hæreticis, qui vitam seu beatitudinem æternam direxerint negaverit. Nec sane fieri id ulla ratione poterat ab iis, qui scripturæ sanctioris, novi cum primis testamenti, auctoritatem admittebant. Extiterunt tamen, qui doctrinam cœlestem de præmiis penitusque post hanc vitam exspectandis suis conspurcarent commentis. Referimus in hanc classem *Gnosticos*, qui, teste IRENÆO, tria statuebant esse hominum genera, *spiritualium, terrestrium & animalium*, quorum exempla Cainum sistebant, Abelem & Sethum. Horum *terrestres* in nihilum reddituros esse conflagratione extremæ diel universali statuebant, *animales*, si bene rem gererint, ad locum quietis adscensuros, idem vero cum terrestribus fatum subituros, si mali fuerint; denique *spirituales* cum parte qua-

quadam *animalium*, vitam consecuturos esse sempiternam (1). Perversæ huic sententiæ confutandæ antiquissimi cœtus christiani doctores articulo symboli apostolici de *resurrectione* doctrinam de *vita æterna* ea intentione subiunxisse videntur, ut contra hanc hæresin sacro fonte abluendi confirmarentur (2). Patet ex his, ultimo hocce symboli articulo, *Gnosticis*, ut videtur, opposito, non tantum futurum beatorum in cœlis statum, sed & miseram damnatorum apud inferos conditionem describi. Idem factum in symbolo, quod *Athangianum* vulgo adpeliari solet. In eo enim disertis verbis dicitur, tempore adventus Christi ultimi, omnes homines cum corporibus suis resurrecturos, ac rerum gestarum redditus rationem, moxque hæc subiiciuntur verba: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.*

(1) Vid. IRENÆVM libr. I. advers. haeres. cap. I. p. 34. seqq. ex edit. JO. ERN. GRABII. Conferenda, quæ PETR. KINGIUS in *historia symboli apostol.* cap. V. §. XXVI. & XXVII. p. 241. seqq. de hocce argumento differuit.

(2) Hancce observationem nobis suppeditavit laudatis. KINGIUS loc. cit. cap. VII. §. XLVIII. p. 333.

§. IV.

Quod si ab antiquioribus ad recentiora progradimur tempora, deprehendimus prohdolor! exstitis-

B

se

se haud paucos, qui, ut alia eaque gravissima religionis revelatae capita, ita speciatim doctrinam christianorum de animorum immortalitate, præmiisque virtutum & peccatorum pecnis post hanc vitam, in dubium revocare, quin penitus negare ausi sint. Huc referunt nonnulli **HIERONYMVM CARDANVM**, gente Italum, medicum ac philosophum seculi decimi sexti celeberrimum. Refert enim **MARTINVS DELRIO**, eundem peculiari libro mortalitatem animæ adteruisse, quem amicis interdum ostenderit, nec tamen luci publicæ exposuerit (1). Cum primis vero hoc pertinent ii, qui deistum nostra ætate sunt amplexi, inque scriptis suis animum a religione christiana prorsus alienum prodiderunt. Fecit id, ut ab Anglorum gente dicendi faciamus initium, **ANTONIVS ASHLEY COOPERVS**, comes de **S H A F T E S B V R Y**, vir in litterarum studiis, elegantioribus maxime, egregie quidem versatus, sed christianismo infensus (2), qui præter alias sanctissimæ religionis nostræ veritates, illam quoque de æterna piorum post mortem corporis felicitate in scriptis suis ludibrio habuit (3). In eundem censum referendus quoque est **DAVID HYMIUS**, philosophus Scotus, deistarum partibus additus (4), qui dogma de præmiis ac pecnis vitæ futuræ inter cerebri humani figmenta referre haud dubitavit. Addidit tamen, imprudenter agere, qui credulæ plebi illorum spem, harum vero metum eripere conentur. Adiungimus binis hisce scriptoribus **HENRICVM** vice comitem **B O L I N G B R O K I V M**, nobilissimo genere ortum, nec doctrinæ

Etrinæ politioris ornementis destitutum, sed religione christianæ infensissimum. Extant sane in eiusdem libellis, anglico sermone exaratis (5), horrendæ contra christianismi doctrinam criminationes, atque absonæ, quas ipse de rebus gravissimis mente concepit, sententiæ. Ita verb. grat. inter alia docuit, animam non esse substantiam a corpore diversam, doctrinamque de vita animæ post mortem, nec non de resurrectione corporis præmiisque ac peccatis futuris prorsus vanam nugisque accensendam esse, licet plebi in obsequio retinendæ inservire queat. Ut impias opiniones, quas JO. TOLANDVS (6), ANTON COLLINVS (7), aliquie antiscripturarii in libris suis protulerunt, in rerum præsentia taceamus.

(1) Vid. eiusdem *disquisit. magis. tom. I. libr. II. quaest. XXVI.* p. 258. Posset quidem de eo, quod loc. cit. refert DELRIO, fortassis eam ob rationem dubitari, quoniam CARDANUS peculiarem de *animalium immortalitate* librum scripsit, Lugduni anno MDCXLV. editum. Verum, cum in hoc ipso opere, cap. XIII. p. 280. haud obscurè prodat CARDANVS, fato sè ac monitis prohiberi, reliqua dicere, quae de anima sentiret, exinde haud immetito suspicatur THEOPHILUS RAYNAUDUS, hunc polyptum ad eam scriptiōnē metu infamiae adactū, vere anterius tale quid scripsisse contra animæ immortalitatē, quale nonnulli referunt, idque doctrinæ venenum eius in pectore etiam post eum, quem modo retulimus, librum detulisse. Vid. eiusdem *erotemat. de bonis & malis libris*, p. 27. ubi & alia quedam addit RAYNAUDUS, tandemque subiungit: *In summa, tam multis, tam tetricis horrendisque propositionibus omnes fere libros suos incepitavit Cardanus,*

danus, ut suffixione meritisimo patere posset, tanquam homo nullius religionis ac fidei, & inter clancularios atheos secundi ordinis, in quo versamur, aeo suo facile princeps. Verum ab atheismi scelere eundem liberavit PÉTR. BÆLIUS in dīct. hist. & crit. tom. II. voce *Cardan*, p. 52. not. (d) qui eundem superstitionis potius quam atheis adnumerandum esse existimat. Idem fere iam ante Bælium de eo iudicavit SAMUEL PARKERUS de *Deo & providentia divina, disput. I. sect. XXV. p. 77.* Et sane plurima in eius scriptis occurunt, quæ eum superstitioni ad ineptias usque deditum fuisse luculenter demonstrant. Evolat, qui huius rei specimen legere voluerit, vel volum opusculum, quod CARDANVS de *libris propriis* composuit, quodque una cum aliis quibusdam eius lucubrationibus anno MDXLII. Basileæ in officina Henric-Petrina in quarto prodiit. Omnia eius opera in X. tomos digesta Genevæ edita sunt a CAROLO SPONIO ann. MDCXXIV. recusa Lugduni MDCLXIII.

(2) De comite SHAFTEBVRIO legi meretur Jo. LE LANDI *view of the deistical writings epist. V.* Habetur quoque versio huius libri germanica ab HENR. GOTTL. SCHMIDIO adornata, & sub tit. *Abriss der vornehmsten deistischen Schriften &c.* Hanoveræ MDCCCLV. 8. typis exscripta. Conferenda, quæ b. BAUMGARTENIUS in den Nachrichten von merkwürdigen Büchern vol. VII. p. 331. seqq. ven. CHRIST. GUIL. FRANCISC. WALTHIUS in compend. hist. ecclesiast. recentissimae cap. V. sect. II. §. II. p. 105. seqq. & GEORG. WILH. ALBERTI in præfatione part. II. der Briefe, betreffende den allerneuesten Zustand der Religion und Wissenschaften in Gros-Brittannien, itemque epist. XXVI. p. 415. seqq. & epist. XXVIII. p. 453. de eo adnotarunt.

(3) Vid. eius opusculum: *essay on the freedom of wit and humour*, quod anno MDCCIX. primum prodiit, ac postea

ea vol. I. characteristicorum p. 57. fuit insertum. Conf. LELANDUM loc. cit. p. 96. seqq. qui & p. 99. seqq. cogitata SHAFTEBURIÆ solide confutavit. Idem quoque egregie præstítit JOHN BALGUY, in libello lectu dignissimo, cui tit: *a letter to a deist, concerning the beauty and excellency of moral virtue, and the support and improvement, which it receives from the christian revelation.* London MDCCXXIX. 8.

(4) Edidit HUMIUS nonnullos libellos, quibus variae quæstiones ad religionem spectantes ita pertractantur, ut exinde satis pateat, auctorem deistarum partibus addictum esse. Inserti leguntur isti libelli eiusdem operi tribus voluminibus comprehenso & Londini MDCLIII. 8. edito, sub titulo: *essays and treatises on several subjects*, in cuius vol. II. nonnullæ extant dissertationes deismo faventes. Vid. quæ de hoc scriptore adnotarunt ALBERTI in præfatione part. III. epistolarum eius, quas supra laudavimus, præmissa, ac celeb. WALCHIUS loc. cit. p. 162. seqq.

(5) Exstant BOLINGBROCKI opera a DAVIDE MALLETO post obitum auctoris iunctim edita, quæ quinque comprehensa voluminibus, in forma quarta, & octava Londini anno MDCLIV. prodierunt. Erat BOLINGBROCKIUS ex nobilissima stirpe ortus atque in eunte hoc seculo gravissimis reipublicæ muneribus ab Anna, Angliae regina, admotus; verum, iis male administratis, a Georgio I. ex patria electus, in Galliam se conculit, ubi diem obiit supremum. Vid. laud. WALCHIUS loc. cit. p. 165. seqq.

(6) TOLANDUS, famosus ille deista, totam doctrinam de altera vita inter vulgi præiudicia retulit, utque aliis persuaderet, rationis beneficio eiusmodi quid hominibus in mentem venire haud posse, ostendere annis est, opinionem de immortalitate animorum ab Ægyptiis, qui magnam cadaverum habuere curam, suam duxisse originem, atque ab his ad alias dimanasse gentes. Vid. eius opusculum

anglico sermone exaratum, quod sub nomine *epistolarum ad Serenam* (h. e. celeberrimam Borussiæ reginam) anno *MDCCIV.* evulgavit, & quidem *epistola secunda*, quæ *historiam doctrinae de immortalitate inter gentes* sifflit. Ibi enim inter alia hæc leguntur verba: *that their funeral rites and their historical method of preserving the memory of deserving persons, seem in all probability to have been the occasional causes of his belief: for their way of burying was, by embalming the dead bodies, which they deposited in subterranean grotos, where they continued intire for thousand of years; so that before any notion of separate or immortal souls, the common language was, that such a one was under ground, that he was carried over the river Acherusia by Charon and laid happily to rest in the Elysian fields, which was their common burying place near Memphis.* Plura de hocce opusculo adnotavit b. MOSHEMIUS in *commentatione de vita, fatis & scriptis Jo. Tolandi*, quæ eiusdem vindiciis antiquae christianorum disciplinae præmissa est, p. 143. seqq.

(7.) De ANTON. COLLINO, Jo. TOLANDI si non discipulo, certe amico, constat, eundem varia scripta contra doctrinam christianam eiusque vindices exarasse. Nota in primis est eiusdem *commentatio de cogitandi libertate*, quæ primum anglice Londini ann. MDCCXIII. prodiit, postea vera in lingua gallicam fuit conversa. Omnem in hocce libello operam in eo posuit auctor, ut libertatis nomine abusus, effrenatam cogitandi introduceret licentiam, incredulorumque, qui gravissimas religionis christianæ veritates subruere conantur, caussam ageret. Ipsos atheos sub libere cogitantium nomine comprehendit eosque, quos ad illorum sententiam quodam modo accedere putat, multa laude adficit. Atque hoc nomine laudat quoque regem Salomonem, scriptorem divinum, atque pag. 218. ex *Cohel.*

Cohel. III. 18, 19, 20. comprobare annititur, regem istum ab atheorum opinione, animam cum corpore interire nullamque proinde dari vitam æternam, minime fuisse alienum. Eos, qui contra huncce libellum calamum strinxerunt, recensuere auctores a cel. J. G. WALCHIO, tom. I. biblioth. theol. p. 686. in not. excitati. Add. ven. CHRIST. GUIL. FRANC. WALCHII compend. hist. ecclesiast. recentiss. p. 110. seqq.

§. V.

Nec sola tamen Anglia deistarum patria censenda est, et si eorum semper fuerit feracissima. Constat enim, exstitisse quoque in aliis provinciis, ac speciatim in Gallia, qui eiusdem impietatis notam subierint. Referimus in huncce censem baronem DE LA HONTAN, qui itinerario suo Americano (1) adiunxit *dialogos*, inter ipsum & ADARIVM quendam, gentis Huronum sapientem, habitos (2), nasutu loque illi barbaro eiusmodi sistema deisticum supposuit, in quo veritates religionis longe gravissimæ, interque illas doctrina quoque de felici vel infelici hominum post mortem statu, plurimum exagitantur. Idem dicendum de anonymo quodam Gallo eoque impudentissimo, qui librum vere insulsum *des princesses Malabares* in lucem prodire iussit (3), inque eo non tantum, ut quidem videri voluit, in virtutia seistarum religiosarum, sed in ipsam quoque religionem divinitus patefactam satyram suam direxit, idque cum primis egit, ut doctrinæ christianæ placita, ac speciatim doctrinam de vita æterna risui lectorum exponeret (4).

Biniis

Binis hisce religionis hostibus addimus tertium, nimirum **JVLIANVM OFFREY DE LA METTRIE**, qui post varios casus, quos heic enarrare nolumus, ex Gallia Berolinum se contulit, regiaeque adscriptus societati, anno huius seculi **LI.** vitam cum morte commutavit. Edidit is complura ingenii sui specimenia (5), in quibus perveras suas de Deo ipsaque natura humana prodidit sententias. Principem inter ea locum obtinet eiusdem libellus *l' homme machine* (6), in quo ostendere conatus est: hominem meram esse machinam: nullam dari legem naturae, ipsamque Dei existentiam nonnisi probabili ratione comprobari posse. Hocce scriptulum mox aliud exceptit, quod titulum fert: *traité de la vie heureuse par Seneque; avec un discours du traducteur sur le même sujet* (7). In hac præfatione disertis verbis docet auctor incredulus, nullam post hanc vitam expectandam esse felicitatem, omnemque, quæ in homines cadere queat, voluptatem rei venereæ usū absolvit.

(1) Constat hocce itinerarium duobus tomis in 8. ac secundâ vice Amstelodami ann. **MDCCV**. prodiit, hac insignium inscriptione: *Mémoires de l' Amerique septentrionale, qui contiennent une relation des differens peuples, qui y habitent; la nature de leurs gouvernement; leurs commerce, leurs coutumes & leurs manières de faire la guerre &c. Seconde édition, augmentée des conversations de l' auteur avec un sauvage distingué.*

(2) Subiuncti sunt isti dialogi *tomo II.* huius *itinerarii*, atque ita comparati, ut facile pateat, dubia ab Huronum sapien-

sapiente contra religionem prolata, ut ut sint levia, immo subinde nullius plane momenti, ab isto tamen homine, cui adscribuntur, profecta haud esse, sed ipsum baronem auctorem agnoscere. Legenda, quæ de hocce libro differuit b. WEISMANVS in *memorabilibus ecclesiast. hist. sacr. nov. test. tom. II.* p. 1226. edit. nov. Sunt tamen nonnulli, qui contendunt, hosce dialogos non ab ipso Barone LA HONTANO, sed ab alio, cui nomen est GUEDEVILLE fuisse confectos. Vid. CLERICI bibliothèque ancienne & moderne tom. XXII. p. 221, 222. Add. la bibliothèque raisonnée, tom. XIII. p. 337. seqq. & LABATI *voyage d'Espagne & d'Italie tom. III.* p. 3. Contra illustris LEIBNITIUS, Adarionem verum ex Huronum gente hominem fuisse, ac dialogum LA HONTANI, et si non in totum verum, non tamen in totum fictum esse, existimat. Vid. eiusdem *epistol. vol. IV.* p. 22. seqq. & ven. BRUCKERUM in *histor. crit. philosoph. tom. IV. part. II.* p. 920. seqq.

(3.) Auctor huius libri est LENGLET DU FRESNOY. Vid. *les memoires de Trevoux*, MDCCXXIX. p. 2000. Et. MDCCXXX. p. 1753. & MDCCXXXI. p. 783. Integra eius inscriptio hisce concepta est verbis: *les princesses Malabares, où le celibat philosophique; ouvrage intéressant & curieux, avec des notes historiques & critiques*. Amstelod. MDCCXXXV. Idem hocce scripnum, quod sane prorsus detestabile est, in Germania quoque prodit, licet hæc editio Amstelodamum præ se ferat. Legenda, quæ de hocce libro adnotarunt LILIENTHALIVS in der theologischen bibliothek, tom. I. p. 351. die deutsche acta eruditior. tom. XVII. p. 581. & in primis b. cancell. MOSHEMIVS in programmate, cui titulus: *Gallus glo- riae Jesu Christi, Spiritusque S. obtrefiator, publicae contentioni expositus*. Helmstad. MDCCXXXVI. 4. Ad-

C

di

di tamen meretur J. JAC. ZIMMERMANNUS, theologus Tigurinus, in meditatione IV. de causis incredulitatis, eiusdem opusculis tom. I. inserta, §. XIII. p. 172. seqq.

(4) Vide librum modo allegatum p. 121, 122.

(5) Indicem eorum dedit ven. C. G. F. WALCHIVS in compend. hist. ecclast. recentissimae supra iam laudato cap. V. sect. I. §. XIII. p. 100. seqq.

(6) Prodiit hocce opusculum Lugduni Batav. MDCCXLVIII. Scriptores, qui illud confutandum sibi sumserunt, indicavit laud. WALCHIVS loc. cit. §. XIV. p. 102, 103. Addimus iisdem: epitre à M. le A. C. P. où la machine terrassée, 12. Hancce vero epistolam refutare conatus est DE LA METTRIE in scriptulo quodam, cui titulus: réponse à l' autheur de la machine terrassée, 12.

(7) Hicce libellus Potsdami ann. MDCCXLVIII. lucem adspexit publicam. Pertinet huc quoque aliud huius aetoris opusculum, quod antea iam ediderat sub titulo: de la volupté.

§. VI.

Scriptoribus Gallis, quos modo commemoravimus, ex Italorum gente ALBERTVM RADICATTI, comitem DE PASSERANO, ex Belgis vero SIMONEM TYSSOT DE PATOT tandem subiungimus. A comite DE PASSERANO ut dicendi faciamus initium, is quidem ecclesiæ Romanæ sacris olim erat adiectus, verum, deserta hac religione, in deistarum castra

castra postea transiit, atque ex Italia in Angliam se recepit, ut evaderet ex infidiis, quæ ipsi ab inquisitionis ministris struebantur. In Anglia cum famosis deistis **COLLINO & TINDALIO** contraxit amicitiam, ibidemque, inter alia scripta religioni christianæ opposita (1), *commentationem philosophicam de morte evul-*gavit (2), in qua, negato virtutis vitiique discrimine, immortalitatem animæ, seu potius ipsam eius ex-sistentiam in dubium vocavit, inque eam vel tandem descendit sententiam, hominem, si miseria sua finem facere velit, ipsum mortem sibi inferre posse, nec post obitum quidquam superesse, quod intelligat. Quod vero ad **TYSSOTVM DE PATOT** attinet, is in Daventriensi schola mathematicas disciplinas olim docuit, librumque, qui inscribitur: *voyages & avan-*tures de Jacques Massé (3) in lucem publicam emisit. In hoc ipso libro nullum alium finem sibi propositum habuit auctor religioni christianæ infensus, quam ut sanctissima eius placita aliorum risui exponeret, ostenderetque, animam post mortem non esse superstitem, nec fieri posse, ut corpora ad aliam vitam redeant. Alios huius generis scriptores, qui impudenter animo doctrinam christianorum de altera vita oppugnarunt, heic prætermittimus, siquidem vix ullam mereri nobis videntur attentionem,

(1) Varia huius comitis scripta coniunctim prodierunt hoc titulo: *recueil des pièces curieuses sur les matières les plus intéressantes*, par Albert Radicati, comte de Passeran, Roterodam. seu potius Hagæ comit. MDCCXXXVI. 8.
Vid. **WALCHIUM** loc. cit. p. 139. seqq.

(2) Hancce commentationem, quæ primum italice scripta est, THOMAS MORGANUS, deista Anglus, isque satis notus, anglice redidit, eandemque sub titulo : *philosophical dissertation upon death*, Londin. MDCCXXXIII. 8. edidit. Vid. la bibliothèque raisonnée tom. X. p. 230.

(3) Prodiit hicce liber Burdigali, seu potius Hagæ comiti ann. MDCCX. 8. Vid. de eo b. cancell. PFAFFIVM in den academischen Reden über das Kirchenrecht p. III. 112. itemque in *theologiae anti-deisticae*, quæ germanico sermone prodiit, scđt. I. §. 59. p. 51. seqq. add. ven. W A L C H I V M in comp. hist. eccles. recentiss. lxxp. iam excitato, cap. V. scđt. II. §. XLVIII. p. 179. seqq.

§. VII.

Antequam ad alia digrediamur, hoc unicum adhuc paucis notamus, non unam eandemque omnium deistarum de argumento hoc, cuius historiam heic tradimus, esse sententiam. Sunt quippe inter eos, qui solam supremi numinis existentiam admittunt, cætera vero religionis naturalis capita vel in dubium vocant, vel prorsus negant; sunt porro, qui providentiam etiam divinam sincere credunt, quatenus Deus totum hocce universum infinita sua potentia conservet; sed eundem signatim res mortalium curare, penitus inficiantur, unde etiam omnia, quæ de statu piorum ac impiorum post hanc vitam in scholis christianorum docentur, inter aniles fabulas referre haud dubitant. Exempla eorum in antecedentibus adduximus (1). Sunt denique, qui proprius ad veritatem

tem accedunt, ac si non omnia, saltim pleraque theologiae naturalis ac iuris naturae capita serio profitentur, licet religionis revelatae veritatem haud admittant, omnemque impendant operam, ut sacri codicis, quem gloriamur divinitus nobis datum esse, auctoritatem infringant penitusque destruant. Atque hi, qui ad posteriorem deistarum classem pertinent, uti theologiae naturalis capita, vel plura, vel pauciora concedunt, ita & mentis immortalitatem vitamque futuram, prout ea ex ipso rationis lumine innotescit, in dubium revocare religioni sibi ducunt. Patet hoc exemplo EDWARDI HERBERTI, comitis DE CHERBURY (2), qui inter naturalistas, seu, ut hodie appellantur, deistas, principem tenet locum (3). Is enim doctrinam de praemis peccatisque post hanc vitam inter *noticias*, quas vocat, *communes* ac *confensus* universali receptas retulit, quae *tanquam indubitate certae* sint *admittendae* (4). Atque huius vestigia omnes ii nostra quoque ætate sequuntur, qui religionem naturalem ad consequendam salutem sempiternam sufficere arbitrantur. Hinc & in Anglia, hominum incredulorum feracissima, ii, qui deismum publice profitentur, in *mortales*, h. e. eos, qui sibi aliisque persuadere conantur, animam hominis cum corpore interire, atque *immortales*, h. e. eos, qui statuunt, animos esse immortales, peccatisque ac praemia post hanc vitam fore, a nonnullis dividi solent (5).

(1) Scriptoribus, quos in antecedentibus commemoravimus, nonnulli adiungunt auctorem libelli : *lettres Persanes*,

ges, itemque FRANCISCUM VOLTAERIUM, celebrem
nostrum ex vi poëtam, in Helyetia iam degentem, de quo
vid. b. BAUMGARTENII *Nachricht von merkwürdigen
Büchern vol. VIII.* p. 544. seqq. nec non cel. C. G. F.
WALCHII, comp. hist. eccles. recentiss. p. 171. Refuta-
tus vero fuit VOLTAERIUS a b. REINBECKIO,
theologo quondam Berolinensi. Referri quoque in hunc-
ce cenlum alias solent nonnulli ecclesiæ Romanæ præsules.
Ita de CLEMENTE VII. ex SIBRANDO LUBBERTO
observat I. WOLFFIVS, eundem morti vicinum dixisse;
se proxime certiorum factum iri de tribus, de quibus per
universam vitam dubitaverit: nempe, an Deus sit? an
anima sit immortalis? & an post hanc alia futura sit
vita? Vid. eiusd. lectio. memorab. centenar. XVI.
tom. II. p. 398. Nos hancce accusationem æque ac alias,
quas de Clemente colligit B A L E U S, suo relinquimus loco.
De BONIFACIO VIII. qui seculo XIII. ecclesiæ Romanæ
præfuit, sibique in omnia divina & humana imperium
arrogare, ac PHILIPPUM, cognomine pulcrum,
Galliarum regem excommunicare aulus est, refert DU
PUY, scriptor Gallus, eidem a Galliarum rege pu-
blice fuisse obiectum, quod adserere haud dubitaverit,
doctrinam de trinitate esse falsam, conceptionem virginis
Mariae impossibilem, manifestacionem filii Dei in carne ri-
diculam, sententiamque de vita aeterna omni proflus fun-
damento desstitutam. Vid. eiusdem opus ann. MDLV. Pa-
risis in fol. editum, quod inscribitur: *preuves de l'histo-
ire du different entre le Pape Boniface VIII. & Philippe
le Bel Roy de France, fol. 531. add. LA CROZE entre-
tiens sur divers sujets d' histoire, de litterature, de reli-
gion & de critique p. 389.* Nec tamen prætermittendum
heic nobis est, quod BONIFACIUS VIII. P. R. contra-
riam sententiam iuramento publice confirmaverit, quodque
HENR. SPONDANVS eiusdem defensionem in annalibus
suis

suis ecclesiast. in se suscepit. Maiori fortassis iure in hancce incredulorum classem referri potest JOANNES XXIII. anno MCCCCX. in sedem Romanam eiectus, sed ann. MCCCCXIV. infandorum criminum reus factus, a concilii Constantiensis patribus *sessione XII.* synodali decreto exauictoratus. Huic enim inter alia horrenda hoc quoque fait imputatum, quod adseruerit *vitam aeternam non esse;* neque *aliam post hanc;* sed *animam hominis cum corpore humano mori,* & *extingui ad instar animalium brutorum.* Vid. *acta concilii Constantiensis* ab HERM. VON DER HARDT in lucem publicam edita, tom. IV. f. 248. Add. si placet, *commentationem nostram de fallibili pontificis Rom. autoritate*, Lugduni Batav. MDCCXXXII. typis exscriptam, p. 174. Tandem de LEONE X. qui tempore reformationis sedem papalem occupavit, in *recusat. concil. Trident. part. II. caus. VIII.* p. 266. adnotatum legimus, eundem, cum aliquando duos philosophos de animæ immortalitate audiret disputantes, alterum, qui adfirmaret, alterum, qui negaret, tandem litem diremisse, atque ad eum, qui adfirmantem propugnaverat sententiam, dixisse: *Etsi tu pulcas & bonas habeas rationes, ego tamen sententiam huius, negantis feliciet animae immortalitatem, probo certioriorem, & quae faciat bonum vultum.* Vid. b. JO. ULR. FROMMANNI, theologi quondam Tubingenensis, *dissert. tertiam de stultitia atheismi*, p. 142. Ingenue tamen fatemur, has aliasque huius generis narrationes non omni exceptione esse maiores.

(2) Nota satis sunt HERBERTI CHERBURII scripta, speciatim eiusdem liber *de veritate, prout distinguitur a revelatione, a verisimili, a possibili & a falso,* qui primum Parisiis MDCXXIV. 4. prodiit, ac deinceps Londini, atque aliis in locis saepius fuit recusus, inque gallicum quoque idioma converitus. Exstat etiam eiusdem liber de
sanctis

causis errorum, una cum tractatu de religione laici & appendice ad sacerdotes. Prodiit ille coniunctim cum scripto modo memorato de veritate, ita quidem, ut illius posteriorem constituat partem, Londini MDCLXV. 4. itemque sine loci mentione MDCLVI. 12. Denique alium scripsit librum de religione gentilium errorumque apud eos causis, cuius operis pars quædam Londini MDCLXV. 8. & Amstelod. MDCLVI. 4. prodidit. Integrum autem opus Amstelod. MDCLXIII. 4. ibidemque MDCC. 8. cura ISAACI VOSSI lucem adspexit publicani. Habetur quoque eiusdem versio Anglica, quæ Londini MDCCVIII. typis fuit exscripta. Uberior de HERBERTO CHERBURY eiusque scriptis modo commemoratis notitia haurienda est ex A N T. WOODII athenis Oxoniens. vol. II. p. 62, 63. NICERONII mémoires, pour servir à l' histoire des hommes illustres tom. XVIII. p. 178. JO. LELANDI libro anglico sermone exarato, cui index: *a view of the principal deistical writers*, Lond. MDCCCLIV. epistola prima; GRUNDICHII *Geschichten der Deisten*; sonderlich des Cherbury, Cöthen. MDCCXLVIII. aliisque.

(3) CHERBURTI naturalismum, præter alios, JO. MUSÆUS, theologus quondam Ienensis, peculiari dissertatione de *luminis naturae* & *ei innixæ theologiae naturalis insufficientia ad salutem*, refutavit. Idem ex Anglis fecit JO. LELANDUS, modo a nobis laudatus, loco excitato. Ut alios taceamus.

(4) Ut sententia CHERBURII clarius pateat, paucis notamus, eundem ea, quæ mortalibus ad consequendam salutem sive cognitu, sive factu sunt necessaria, ad quinque ex communi providentia divina dœductos articulos, quos *communes circa religionem noticias* appellat, revocare. Articulos vero istos hoc enumerat ordine: 1) *esse supremum*

premium aliquid numen; 2) supremum istud numen deberre coli; 3) virtutem cum pietate coniunctam praecipuam partem cultus divini habitam esse & semper fuisse; 4) horrorem scelerum hominum animis semper insedisse; adeoque illos non latuisse, vitia & scelera quaecunque expiari deberre ex paenitentia; & denique 5) esse praemium vel paenam post hanc vitam. Hosce articulos ubi in opusculo de veritate supra a nobis adlegato a pag. 268. pluribus inculcavit, eosdemque in ipso naturæ lumine fundatos esse ostendit, tandem pag. 283. subiicit: *Hae sunt omnino notitiae communes, ex quibus vera ecclesia catholica sive universalis constat. Neque enim illa macerie quacunque sive lapide exciso & calce viva, sive marmore exfracta quaedam moles, ecclesia quae errare non potest, nuncupanda est. Immo nec ipsi homines, sive dabo, sive scripto sua promiscue & tumultuarie effutientes suffragia, ecclesiam vere catholicam constituant, minus adhuc, quae sub aliquo vexillo particulari militans, vel in aliquem gregem compulsa, angustiis alicuius orbis terrarum partis vel seculi conclusa, ecclesia vere catholica sive universalis censenda est; sola catholica sola provocatio ecclesia est notitiarum communium doctrina, omne spatum, omnem numerum comprehens. Haec sola enim providentiam divinam universalem, sive naturae sapientiam pandit. Haec sola rationem, unde pater communis invocatur Deus opt. max. exponit, extra hanc denique nulla sa- lus &c.* Prodit superiori anno scriptum anglico sermone exaratum, cui titulus: *a dialogue between a tutor and his pupil, by Edw. Lord Herbert of Cherbury, in 4.* Auctor huius dialogi, qui CHERBURIUS esse dicitur, probare admittitur, quinque istos articulos, quos supra recensuimus, ne gentilibus quidem suis incognitos.

(5) Ipse CAROLUS BLOUNT, deista Anglus isque haud incelebris, deistas in binas istas classes mortalium atque im-

D

MOR-

mortalium dispescit in libello, qui inscribitur: *oracles of reason p. 99.* Edidit hocce opusculum post mortem auctoris eiusdem amicus CAROLUS GILDOW anno MDCXCIII. Evolvi quoque heic mereretur LELANDUS loc. cit. p. 4. & 5. versionis germanicae, a HENR. GOTTLIEB SCHMIDIO adornata. Verba LELANDI, bona cum lectoris venia, in lingua nostra vernacula heic adscribemus: *Die deisten, inquit, werden von einigen ihrer eigenen Schriftsteller in zwei Classen eingeteilt, in sterbliche und unsterbliche deisten. Die letztern geben einen künftigen Zustand nach dem Tode zu; die erstern leugnen ihn, oder nennen ihn wenigstens als eine sehr ungewisse Sache vor.* Und obgleich diese ersten von verschiedenen derselben selbst unter einem sehr unvorteilhaften character vorgestellt werden, so ist doch zu befürchten, daß sie die zahlreichsten unter den zweien Classen sind. Einige ihrer vornehmsten heutigen Autoren scheinen auch in Ansehung dieses Unterschiedes sehr gleichgültig zu seyn. Nach ihrem Auspruche sind alle diejenigen wahre Deisten, die sich der Offenbarung entgegen setzen, sie mögen künftige Belohnungen und Straffen zugeben, oder nicht. Sie reden mit grosser Ehrerbietung von denen uneigennützigen Deisten, welche die Tugend um ihr selbst willen lieben, und ohne auf künftige Belohnung zu sehen. Hec posteriora verba respiciunt ad MATTH. TINDALIUM, acerrimum doctrinæ christianaæ hostem, qui in libro notissimo: *christianity as old as the creation*, p. 332, 333. edit. anglicæ in 8. ita meptis sue sensa expressit.

§. VIII.

Edifferuimus haetenus diversas deistarum de immortalitate animæ præmiisque ac penit post hanc vitam

tam exspectandis sententias. Non incongruum fore arbitramur, si hac ipsa occasione mentionem quoque faciamus quæstionis in ipsis christianorum scholis dum agitatæ: *an immortalitas mentis humanae, & quæ huic dogmati ceu fundamento innititur, vita æterna ex ratione sibi relicta apodictice demonstrari queat?* Fuerunt complures tam ex theologorum, quam philosophorum ordine, qui adfirmantem amplexi sunt sententiam. Horum in numerum ex nostris referimus JOACHIMVM HILDEBRANDVM (1), theologum quondam Helmstadiensem, tandemque ducatus Lüneburgensis eiusque comitatum supremum superintendentem, VINCENTIVM PLACCIVM (2), polyhistorem ac philosophum Hamburgensem, HECTOREM GODEFR. MASIVM (3). theologum Hafniensem, illustrem GODEFR. GUIL. LEIBNITIVM (4), itemque illustr. WOLFIVM (5), LUDOV. PHIL. THÜMMIGIUM (6), Jo. GUSTAV. REINBECKIUM (7), atque ISR. GOTTLIEB CANZIUM (8), theologum quondam Tubingensem nostrumque collegam desideratissimum. Hisce ex reformatis GIBERTUS VOËTIUS (9), theologus olim Ultraiectinus, atque Jo. EBERHARDUS SCHWELINGIUS (10), I. V. D. eiusdemque ut & philosophiæ in gymnasio Bremensi quondam professor; ex Anglorum vero gente KENELMUS DIGBY (11), eques, nec non WALTHERUS CHARLTONUS (12); ac denique ex cœtus Romani doctoribus IGNATIUS DERKENNIS (13), societatis Jesu sacerdos superiori seculo clarus, atque ANTONIUS SIRMONDUS (14),

DUS (14), iefuita Gallus, iungi merentur. Ut alios iam taceamus.

(1) Exstat HILDEBRANDI tractatus, cui titulum preficit: *immortalitas animae rationalis, ex solo lumine naturae apodisticis & topicis rationibus liquido ostensa*, Cellis ann. MDCLXXX. 4. Observat Iо. FECHTIUS, sibi ab amico quodam olim relatum fuisse, auctorem, „cum ann. tea contrariam de probabili tantum immortalitatis ex rationis principiis probatione sententiam defendisset, sed postea ex discursibus in aula Cellensi cum serenissimo duce, eiusque ministris, subinde iaslitutis, animæ immortalitatem ideo in dubium vocari intellexisset, quia consentiente theologorum nostrorum choro ex ratione non innoteſcat, occasionem inde cepisse, de viribus natura in hoc negotio curatus dispiciendi. Ex quo consilium ipſi natum sit, sententiam suam mutandi, huncque tractatum edendi „. Vid. eius *praelationes theologicas in selectionum, recentiorum praecepue controverſiarum syllogen*, p. 168. seqq. Add. LEIBNITII otium Hannoveran. p. 212. Exstat quoque HILDEBRANDI *vita aeterna ex lumine naturae ostensa, & ex pentateucho Moſaiico evicta*, Helmſtad. MDCLXXXIV. in 4. Vid. de posteriori hocce libro ab aliis erudit. Lips. ann. MDCLXXXV. p. 27. seqq.

(2) Exstat VINC. PLACCIT libellus germanico sermone conscriptus, sub tit. *gründlicher Beweß von der Menschen Unsterblichkeit aus dem bloßen Lichte der Natur*, Francof. MDCLXXXV. 8. Vid. ab aliis erudit. MDCLXXXV. p. 491. seqq.

(3) MASIUS peculiarem *de immortalitate animae* differentiationem ann. MDCLXXXII. luci exposuit publicæ, que inter

inter eiusdem dissertationes a SEVERINO LINTRUPIO,
Hamburgi MDCCXX. iunctim editas, habetur.

- (4) LEIBNITII immortalitas animae continuo sorite demonstrata in THEOPH. SPIZELII libro de atheismo eradicando, Augustæ Vindel. MDCLXIX. edito, exstat p. 135. seqq.
- (5) Vid. illuslr. WOLF IUM in metaph. §. 738-742. alibi que paßim. Jungi vero omnino meretur illustris BILFINGERUS in dilucidationibus philosoph. cap. V. §. CCCLVII-CCCLXX. p. 405. seqq. edit. IIdeæ.
- (6) Scriptit THÜMMIGIUS peculiarem de immortalitate animae dissertationem.
- (7) Edidit REINBECKIUS librum germanica lingua exaratum, qui inscribitur: philosophische Gedanken über die vernünftige Seele, und derselben Unsterblichkeit.
- (8) Vid. CANZIUM de usu philosoph. Wolfianæ in theologia cap. IV. Exstant quoque quatuor eius dissertationes de immortalitate animae, Tubing. MDCCXL. typis exscriptæ, quarum partes duæ posteriores cum primis heic conferri merentur.
- (9) Vid. VOETIUM select. disputat. theolog. part. I. p. 777. seqq.
- (10) SCHWELINGIUS libellum sub titulo: mens immortalis, contra atheos scepticosque demonstrata, Bremæ ann. MDCLXXXIII. in 12. edidit. Vid. act. erud. ann. MDCLXXXIII. p. 335. seqq.

D 3

(ii) D 4

(11) DIGBEI demonstratio immortalitatis animae primum anglice ann. MDCXLIV. & MDCLI. deinde latine Francof. MDCLXIV. 8. prodiit. Vid. de eo I. A. FABRICIUM in syllabo scriptorum de veritate relig. christ. cap. XVIII. p. 433, 434.

(12) CHARLTONUS edidit *the immortality of the human soul demonstrated by the light of nature*, Lond. MDC-LVII. 4.

(13) Vid. DERKENNIS tractatum theologicum *de Deo uno & trino creatore*, qui Bruxell. ann. MDCLV. prodiit, p. 559, 560.

(14) Exstat SIRMONDI *de immortalitate animæ demonstratio physica & Aristotelica*, adversus POMPONATIUM & ad seculas; que Parisis ann. MDCXXXV. 8. prodiit.

§. IX.

Non defuerunt tamen ex altera parte magni nominis theologi, quin & alii viri docti, qui animæ immortalitatem, &, quæ huic dogmati superstructa est, vitam æternam ex rationis lumine apodictice comprobari posse, negarunt, contendentes, argumenta philosophica, quæ pro adstruenda hacce veritate in medium adferuntur, aliquem duntaxat probabilitatis gradum efficere. Ex iis, qui ita senserunt, sufficiat heic nominasse Jo. HVLSEMANVM (1), Jo. ADAM. SCHERZERVVM (2), ABRAHAMVM CALOVIVM (3), GEORG. CALIXTVM (4), itemque binos universitatis Tübingerensis quondam cancellarios,

Jo.

JO. ADAM OSANDRVM (5) atque JO. WOLFF-
GANG. JÆGERVM (6), nec non ex reliquis huius
academiæ theologis JO. CHRISTOPH. PFAFFI-
VM (7), ANDR. ADAMVM HOCHSTETTE-
RVM (8), GODEFR. HOFFMANNVM (9), nec
non venerandum collegam nostrum, CHRISTOPH.
FRID. SARTORIVM (10); quibus ex cœtus Re-
formati doctribus JO. ALPHONSVS TVRRET-
NVS (11), theologus quondam Genevensis præstan-
tissimus, &, quem sapius iam laudavimus, JO. JAC.
ZIMMERMANNVS (12), theologus Tigurinus;
ex ARMINII discipulis, ADRIANVS A CATTE-
BVRGH (13); ex iureconsultis CHRISTIAN. THO-
MASIVS (14), ac denique ex philosophorum ordine
JO. EBERHARDVS ROESLERVS (15), philoso-
phie moralis in hac academia quondam professor is-
que prorsus eximius, atque JO. ADAMVS OSIAN-
DER (16), cancellarii nepos, adiungi merentur. E-
quidem instituti nostri ratio non patitur, ut hancce
quaestione, in theologorum æque ac philosophorum
scholis diu iam agitatam, adcuratori examini heic
subiiciamus. Hoc tamen silentio prætermittere haud
possimus, veteres gentilium philosophos, eosque per-
spicacissimos, qui alias haud exiguae de animorum im-
mortalitate vitaque futura habuerunt suspiciones (17),
veluti SOCRATEM, CICERONEM, SENECA M aliosque,
non nisi dubie, immo summa cum hæfitatione
hac de re locuros esse (18), manifestissimo indicio,
debilem esse illam, quam homo, ex solo rationis lu-
mine de veritate hac gravissima habet, persuasionem,

fi

si conferatur cum illa animi convictione, quæ divina innititur revelatione (19).

(1) Vid. HULSEMANNI *breviarium theolog.* cap. XVI.
thes. I.

(2) Lectu digna sunt, quæ SCHERZERVS hac de re discrit, tum in *system. theologize*, loc. XXIII. §. II. p. 619. seqq. tum in *breviario theolog.* Hulsemanniano enucleato atque auditio, p. 1071. seqq.

(3) Evolvatur heic CALOVII *systema locor. theolog.* tom. XII. art. VII. cap. I. quaest. II. p. 297. seqq.

(4) CALIXTI tractatus de immortalitate animae & resurrectione carnis Helmst. MDCLXIX. in 4. itemque MDCLXI. prodiit. Exstat quoque eiusdem liber unus de bono perfecte summo; sive aeterna beatitudine, Helmst. MDXLIII. & MDCLXIV. in 4.

(5) Vid. cancell. OSIANDRI *colleg. systemat. part. II.* p. 246. seqq. nec non eiusdem *collegium theor. in præcipuas controvers.* p. 216, 217. itemque *observat. ad Grotium*, p. 67.

(6) Vid. I. W. JÆGERI *theolog. natur.* p. 453.

(7) Vid. J. C. PFAFFI *dissertat. de statu & ubi animarum separatarum*, p. 4, 6.

(8) HOCHSTETTERVS tum in *collegio Pufendorff.* exercit. II. §. XII. p. 60. edit. secundæ, tum in *dissert. de religione naturali*, quæ inter *dissertationes* eius *selectas junctim* editas seprima est, cap. II. §. X. p. 236. tum denique in *dissert. de officio erga defunctoris* §. I. suam hac de re mentem ediscrit.

(9) Vid.

(9) Vid. HOFFMANNI *synopsis theol. purioris dogmatis*, loc. de homine, §. II. p. 259, 260. edit. IIIdx, quæ Tubing. MDCCXXX. 4. prodiit.

(10) Vid. ven. SARTORII nostri *positiones theolog.* §. 1005. p. 521. seqq.

(11) Evolvi omnino hēic meretur J. A. TURRETTINI dif-
fertat. de *revelationis necessitate*, quæ eiusdem *dilucidationibus*
philosophico-theologis vol. II. inferta est, §. XVIII. p. 29.

(12) ZIMMERMANNI de hoc argumento cogitata legi
possunt in eiusdem *opusculis iunctim editis*, & quidem
tom. I. p. 522. nec non tom. II. p. 55, 56. ubi inter alia
observat, doctrinam de mentis immortalitate statuque eius
post mortem, quatenus philosophicis duntaxat innititur ra-
tionibus, vulgi capacitatī attemperatam haud esse, multa-
que insuper occurrere dubia, quæ homines nulli ratiocinan-
di arti adsuētos facile circumvenire queant.

(13) CATTENBURGHUS, theologie olim inter Remon-
strantes professor haud incelebris, questionem de immor-
talitate animæ copiose pertractavit in *spicilegio theolog. christ.*
Phil. a Limborch, p. 246. seqq. ita tamen, ut simul obser-
vaverit, argumenta scripturaria, quæ arduam hanc veri-
tatem comprobant, iis, quæ ex ratione petuntur, omnino
præferenda esse, utpote firmissima, tutissima atque omni
exceptione maiora.

(14) THOMASIVS suam hac de re mentem in *iurisprud.*
divina p. m. 158. edidit. Idem vero in *cautelis circa*
praecogita iurisprudentiae cap. XII. §. 76. p. 190. eo est
delapsus, ut scriberet, in *pneumatica scholastica*, aut alia
quacunque parte philosophiae inepte agi de immortalitate
animæ.

E

(15) Vid.

(15) Vid. b. ROESLERI adnotat. ad praefationem P. FENDORFFII libris de officio hominis & civis præmissam, p. 6.

(16) JO. ADAM. OSTANDER, philosophia olim apud nos professor, sub initium munieris fui academicus, dissertationem inaugurem philosophicam de immortalitate animae rationalis ex lumine rationis probabili, publico examini submisit, que Tübinger ann. MDCCXXXII. in lucem publicam prodidit.

(17) Philosophorum gentilium de immortalitate animorum sententias luculenter enarrarunt GERARDUS JOANN. VOSSIUS libr. I. de theologia gentili cap. X. p. 70. seqq. & TOBIAS PFANNERUS in sisteme theologiae gentilis purioris cap. XVII. §. IX. seqq. p. 401. seqq. qui & loc. cit. §. XI. p. 403. eorum facit mentionem, qui animas non quidem immortales, longævas tamen, neque corpori illico commori arbitrati sunt.

(18) Magnorum illorum, quos supra laudavimus, virorum persuasione de vita futura non omnino certam & constanter, sed subinde dubiam ac fluctuantem fuisse, adducunt veterum locis dudum comprobarunt viri eruditii. Adducemus ex iis unum alterumque testimonium speciminis loco, ut maiorem adsero nostro conciliemus fidem. SOCRATES, qui inter sapientes ethnicos principem olim tenuit locum, sententiamque de anima mortis lege soluta alias tenuit, mortem iam iam aditus hæsitare cœpit, hisque verbis dubii plenis apologiam suam concludit: *Tempus est iam hinc abire; me, ut moriar; vos, ut vitam agatis;* *Utrum autem sit melius, di immortales sciunt, hominum quidem scire arbitror neminem.* Eundem animum fluctuantem sequenti dilemmate haud obscure prodidit: *magis*

gna me spes tenet, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem: necesse est enim duorum alterum esse, ut aut sensus omnino mors omnes auferat, aut in aliud quendam locum ex his locis morte migretur. Quam ob rem, siue sensus exsinguitur, morsque ei somno similis est, qui nouinuquam, etiam sine vijs somniorum, placatissimam quietem adserit, di boni, quantum lucrum est mors! --- siu vera sunt, quae dicunt, mortem esse migrationem in alias oras, quas, qui e vita exterrunt, incolunt, id multo iam beatus est, &c. Vid. apologiam SOCRATIS apud PLATONEM, sub fin. & CICERONEM Tuscul. quaeft. libr. I. Nec his abstimilia sunt, quae apud SENECA, Polybii mororum ex obitu fratribus mitigantem, cap. XXVII. consolat. leguntur. Pertinent huc quoque ea, quae SENECA de provident. cap. VI. hanc in rem differit, ubi ita insit: Contemnite mortem, quae vos aut finit, aut transfert; itemque epift. LXIV. Et fortasse (si modo sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periuisse, praemissus est. Et epift. CII. Juvabat, inquit, de aeternitate animorum quaerere, immo me hercule credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis, quam probabantium. Dabam me spei tantae. Duumviris hisce ad latius ponimus TULLIUM, qui quidem in Catone maiore, siue libro de senectute, itemque lib. I. Tuscul. quaeft. multa egregia ac sublimia de immortalitate mentis humanae dixit, sed alibi tamen ita de arguento hocce arduo disseruit, ut facile pateat, eundem de hac veritate adhuc plurimum dubitasse. Sic enim ille in libro modo excitato Tuscul. quaeft. scribit: Expone mihi, nisi molestum est, priuium animos, si potes, remanere post mortem; tum, si id minus obtinebis, (est enim arduum) docebis, carere omnī malo mortem. Docet quoque loc. cit. se hac de animorum immortalitate sententia valde multumque delectari, licet

E 2

de

de ea adhuc dubius hæreat. *Me vero delectat, inquit, idque primum ita esse, deinde etiam si non sit, mihi tamen persuaderi velim.* Nec prætermittendus heic est ARISTOTELES, qui in eth. ad Nicom. libr. I. cap. XI. dubium esse pronunciat, *utrum mortui boni, vel mali alicuius participes sint, nec ne.* TACITUS quoque sententia sua non omnino certus fuisse videtur, quando de agricult. cap. XLVI. ita scribit: *Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguantur magnae (videtur heic ad Stoicos respexisse) animae, &c.* Taceamus alia huius generis testimonia, quæ congesit P. A. NERUS loc. cit. cap. XVII. §. XIV. p. 405. seqq. qui & §. XVI. p. 408. seqq. argumenta recenset, quibus inducunt nonnulli veterum, animæ immortalitatem competere, statuerunt. Sunt ex iis nonnulla argumenta minime contemnenda. Sunt vero & alia, quæ nullius proorsus sunt ponderis. Certe quosdam veterum gentilium adparitionibus nocturnis inductos fuisse, ut animas post mortem superstites crederent, CICERO auctor est, *Tuscul. quæst. I.* Oppido vero miramur, fuisse quoque ex christianis scriptoribus, iisque recentioribus nonnullos, qui eiusmodi adpartiones animalium a corporibus separatarum aliquando vivis factas contra incredulos urserint. Fecerunt id imprimitis HENR. MORUS & JO. EBERH. SWELINGIUS; ille quidem in libro de immortalitate animæ, tom. II. oper. philosoph. p. 439. hic vero in tractatu supra p. 29. not. (10) iam adlegato, cui index: mens immortalis contra atheos & scepticos demonstrata, §. CXCII. & CXCVI. p. 284. seqq. Exempla eiusmodi adpartionum tam inter gentiles, quam christianos, collegit JO. ULRICUS FROMMANNUS, theologus quondam Tubingensis, dissert. IIIItia de suertia atheismi p. 146. seqq. & p. 157. seqq..

((19)) Conferenda, quæ JO. WILHELMUS VON DER LITH,

LITH, theologus olim ONOLDINUS, in peculiari commentat. de imbecillitate luminis naturalis in demonstrando statu mentis humanae post mortem differuit.

§. X.

Quum, prout modo observavimus, ratio sibi relicta subobscure duntaxat, divina autem revelatio, libris veteris novique testamenti comprehensa, clarissime doceat momentosam illam de animorum immortalitate vitaque futura veritatem, ab ethnicorum sapientibus nonnisi cum hæsitatione agnitam, nemo non videt, ex purissimo sacrarum litterarum fonte unice haurienda esse ea, quæ de argumento hocce arduo scitu cognitique sunt necessaria. Huncce fontem limpidissimum si consulamus, facile deprehendimus, vitam cœlestem atque æternam ipsi iam Adamo, in statu integritatis adhuc constituto, fuisse promissam. Deprehendimus porro, hanc promissionem prorsus eximiam solatiique plenissimam etiam post lapsum fidelibus veteri testamenti obrigisse, tandemque a Christo ita fuisse confirmatam, ut supra omnem dubitationis aleam posita iure meritoque censeri queat. Hæc omnia alibi⁽¹⁾ luculenter comprobavimus, nec opus esse arbitramur, ut ea heic reperamus. Id tantum iam addimus, existisse cum antiquiori, tum recentiori hoc aeo haud paucos, qui promissiones vitæ æternæ in veteri testamento factas esse negaverint, statuentes, præter vitam in his terris felicissimam nullam aliam primo homini in innocentia statu fuisse promissam, nec Moses, supremi numinis legatum, reliquosque yates

E 3

do-

doctrinam de felicitate vitæ futuræ unquam ursisse, sed bona tantum terrena & caduca promisisse veteris testamenti fidelibus, omissis spiritualibus atque æternis. Hanc sententiam adoptarunt SOCINI sectatores (2), in primis Jo. VOLKELIUS, VALENTINUS SMALCIUS, ac CHRISTOPH. OSTORODUS (3), itemque nonnulli Anabaptistarum sectæ addicti (4). Proprius quoque ad eandem acceperunt nonnulli ARMINII discipuli, *Remonstrantes* vulgo nuncupati. Evidem in *apologia*, quam ediderunt, siuum hac de re iudicium, ubi data fuerat occasio, more consueto videntur suspendere. Distinctius autem mentem suam suorumque explanarunt SIMON EPISCOPIVS (5), theologus Lugduno-Batavus, STEPHANUS CURCELLÆUS & PHIL. LIMBORCHIVS (6); quibus ex politicorum ordine Hugo GROTIUS (7), ex theologis Gallis, iisque antiquioribus, MOSES AMYRALDV, ex recentioribus vero Remonstrantibus Jo. CLERICUS (8), qui Amstelodami in celebri illorum gymnasio professoris munere defunctus est, ac denique ex Anglorum gente Jo. SPENCE-RVS (9), ecclesiae Eliensis quondam decanus & collegii corporis Christi apud Cantabrigienses præfectus, sunt adiungendi. Hisce vero strenue sese opposuerunt theologi recte sentientes, non tantum ex nostris, veluti MART. CHEMNITIUS (10), Jo. ADAM SCHERZERV (11), JVSTVS FEVERBORNIVS (12), ABRAHAM. CALOVIUS (13), Jo. ANDR. QVEN-STEDIVS (14), GUSTAVUS GEORG. ZELTNERUS (15), CHRISTIAN. EBERH. WEISMANNUS,

nus (16) aliquie; sed etiam ex cœtus reformati do-
ctoribus, speciatim DAN. CHAMIERUS (17), JO.
FRANCISC. TURRETTINVS (18), JO. HENR.
HEIDEGGERUS (19), JO. BRAUNIUS (20), HER-
MANN. WITSIUS (21), itemque, ex recentissimis
scriptoribus, duumviri doctissimi, DANIEL WYT-
TENBACHIUS (22) & JO. FRID. STAPPE-
RUS (23); ut alios in rerum præsentia haud memo-
remus. Evidem videri fortassis posset, celebrem in-
ter reformatos sacrarum litterarum interpretem, JO.
COCCÉIUM, theologum Lugduno-Batavum, ecclesiæ
sue placita penitus heic deferuisse, eorumque parti-
bus se adficiasse, qui cum SOCINI adseclis salutem
sempiternam Israëlitis olim patefactam fuisse, penitus
inficiantur. Ita enim ad ultima Mosis verba (24)
commentatus est: *Scopus horum (verborum) est, ostendere, quum maxima temporalia bona Israëlitis collata sint, nondum tamen, ante ultima tempora, ipsis collata esse vera & permanentia bona, ipsisque salutem non fuisse ipsis re ipsa patefactam* (25). Ve-
rum alibi rectius animi sui sensa expressit vir doctissi-
mus, eaque docuit, quæ eum a Socinianorum senti-
entia procul absuisse, luculenter demonstrant; pro-
ut uberioris ostendit HERMANNUS WITSIUS (26),
theologus irenicus, supra iam a nobis laudatus.

(1) Vid. dissertat. nostram *de vita aeterna*, superiori anno
editam §. X-XV. p. 24. seqq.

(2) Sociniani suam hac de re mentem satis clare exprimunt
in *catechismo Racovienst cap. V.* ubi profitentur, lege Christi
duo

duo contineri promissa, quæ lege Mosaica haud fuerint contenta, nimurum promissionem vitæ æternæ, itemque Spiritus S. Nusquam, ut habent verba huius catechismi, in lege Mosis reperies vel vitam aeternam, aut donum Spiritus sancti obedientibus praeceptis legis promissum, quemadmodum in lege per Christum data promissa esse constat. Atque hoc ipsum FAUSTUS SOCINUS in libr. de officio Christi uberioris confirmat, dicimus igitur, novum fædus apertissime vitae aeternæ promissionem nobis attulisse, præterea promissum remissionis peccatorum &c. denique promissum omnibus fidelibus consequendum, Spiritus sancti. Quibus omnibus cum vetus fædus illud careat & caruerit, & terrenam felicitatem proposuerit, facile est novi federis praefiantiam hac in parte agnoscere.

3) VOLKELIUS Socinianorum adserit variis argumentis comprobare admittitur libr. III. de relig. cap. XI. Idem facit S M A L C I U S in libr. de divinitate Christi cap. II. f. 6. cap. VII. f. 25. seqq. Quod vero ad O S T O R O D U M attinet, evolvi heic potest eiusdem Unterricht von der christlichen Religion cap. V. n. 2, 3, 4. ubi disertis verbis negat, in vet. testamento exfluisse ullam vitæ aeternæ promissionem. Ita enim insit: Von der ewigen Vergeltung wird im Gesetze Mosis nichts gedacht, und kan nicht bewiesen werden, daß Gott zuvor, ehe Christus ist offenbahr worden, soll das ewige Leben jemand ausdrücklich zugesagt haben. Largiuntur quidem, quod paucis heic notamus, Socinianorum plerique, patres vet. test. spem aliquam vitæ æternæ habuisse, utcunque ipsis non promissæ; negant vero, illos ad Christum in caerimoniis & sacrificiis, in quibus adumbratur, respexisse, & in spe illius venturi servatos fuisse, quæ sunt verba SOCINI in epistola II. ad Radecium. Hinc ita distinguunt fidem illorum temporum & nostram, ut illa fides fuerit in Deum simpliciter, haec vero fides etiam

DE VITA ÆTERNA.

41

etiam in Christum. Vid. SMALCIUM contra Fran-
zium, disput. ultima.

(4) Haud paucos *Anabaptistarum*, speciatim veterum, eun-
dem cum Socinianis errorem fovere, constat ex colloquio
Francothalensi art. XV. XVI., ubi non aliter de ifraë-
litico populo loquuntur, quam de aliquo porcorum gre-
ge, utpote quem negantur a domino in hac terra sagi-
natum citra spem ullam coelestis immortalitatis, bona
tantum temporalia & promissiones terrenas illis datas
adserentes, observante TURRETINO in theol. elench.
part. II. p. 212. thes. IV. Conf. ex nostris CHEMNI-
TIUS part. III. locor. theolog. p. 88.

(5) Distinctius suam suorumque de hoc arguento Tenten-
tiam edisserit EPISCORIUS in respons. ad specim. column.
part. II. operum, tom. II. b. fol. 303. seqq. ita quidem, ut
ad Socinianorum sententiam proprius accedere videatur, li-
cet hanc suspicionem quam longissime a se removere ve-
lit. Modestius tamen sentit in lev. ad I Joann. II. 25. fol.
273. ubi promissionem vita æternæ in vet. testamento fa-
ctam non a quovis intelligi potuisse, adserit. Omnium
vero luculentissime suam hac de re mentem exponit in col-
loquio cum FESTO HOMMIO in vita Episcopii a PHI-
LIPPO LIMBORCHIO Amsleod. MDCCl. edito. atque
loc. exitit. fol. 64. seqq. recentis.

(6) CURCELLÆUS cogitatis EPISCOPII in institut. re-
lig. christ. libr. IV. cap. XX. s. II. & III. suum adiicit
calculum, ita tamen, ut haud diffiteatur, quosdam vel
ex peculiari revelatione, post Mosis tempora quibusdam
facta, vel ex simplici cognitione beneficentiaz atque æqui-
tatis Dei, spem istam vita æternæ concepisse. Ad eandem
sententiam proprius quoque accedit LIMBORCHIUS libr.

F

VI.



VI. theolog. christiana, cap. II. §. IV. fol. m. 695. ubi
dissentis verbis scribit: *Vitae aeternae bonum esse speciale
novi fidei promissum.* Idem tamen libr. *VII. cap. I.
§. XIII.* f. m. 752, ubi questionem: *fueritne fides
ecclesiae vet. testam. specie eadem, quae novi testamen-
ti? paucis attingit, disquisitionem hanc haud magni mo-
menti esse iudicat.* Conferenda, quæ ad emolliendam Lim-
borchii sententiam in medium attulit ADRIANUS A CAT-
TENBURGH in spicilegio theologiae Limborch. libr. *III. cap.
VII. §. XV.* p. 322. & *cap. VIII. §. XVI.* p. 328.

(7) Vid. GROTIUM de veritate relig. christ. libr. *V. §.
VI.* ubi hæc leguntur verba: *Praemia lege Mosis aperte pro-
posita, ad hanc vitam mortalem spectant omnia: unde fa-
tendum est, legem aliquam illa lege meliorem dari potuisse,
quæ aeterna præmia non sub umbris, sed aperte propo-
neret, quod lege Christi factum videmus.*

(8) Vid. CLERICI prolegomena, quæ historiae ecclesiasti-
cae duorum primorum a Christo nato seculorum præmisit,
scđt. I. cap. VIII. §. XVII. p. 43. seqq. ubi inter alia
scribit, apud ebraeos vet. testamenti scriptores aut alium esse
de altera post hanc vita silentium, aut adeo obscuram signifi-
cationem, ut pharisei hancce veritatem potius traditioni
maiorum, quæ unde manaverit, non conster, quam reve-
lationi divinæ scriptis consignatae, debere sibi videantur.
Addit vir doctus, rudi & carnali populo iudaico alteram
vitam revelatam haud fuisse; eo quod ea gloria servata fue-
rit Christo, qui ἐφωτισε τὸν κόσμον αὐθαδοσίᾳ δια τὰ
συμμετελεῖς, illustravit vitam & immortalitatem per evan-
gelium.

(9) SPENCERUS in libro notissimo *de legibus ebraeorum re-
tugibibus* libr. *I. cap. IV.* p. 41, supponit, in lege divina
bona

bona tantum & mala temporalia genti Israëliticae fuisse proposita, quoniam eiūsmodi promissa terrestria ad populi ictius rudis & cœlestium inanis ingenium gaudiumque suerint accommodata. Nec tamen loc. cit. p. 43. diffitetur vir doctus, „vitam cœlestem Mosi innotuisse, eumque nonnulla, statum futurum spectantia, verbis mysticis & typorum nebulis involuta tradidisse, viros etiam propheticos seculis sequentibus vitam & immortalitatem e nubibus Mosaicis in lucem paulo clariorem in dies protulisse”.

(10) Vid. CHEMNITII locos theolog. part. III. p. 88.

(11) Vid. SCHERZERI colleg. anti-Socin. disput. XXVIII. p. 355. seqq. edit. novæ.

(12) Evolvi heic meretur FEUERBORNII anti-Osterodus, seu refutatio institutionum theologicarum, in quibus Christ. Osterodus religionem photinianorum blasphemam professus, cet. disp. XX. §. XI.

(13) CALOVIUS non tantum in system. loc. theolog. tom. VI. cap. VI. quæst. 2. p. 490. seqq. sed & in socinismo profligato, p. m. 314. itemque in consideratione Arminianismi, cap. XII. controversiam hanc excusavit.

(14) Vid. QUENSTEDII sistema theolog. part. IV. cap. VII. quæst. I. p. 1326.

(15) ZELTNERUS, theologus quondam Altdorfinus, isque præstantissimus, in breviario controversialium cum Remonstrantibus agitatarum, controv. XXI. p. 168. seqq. argumentum hoc adcurate pertractavit.

(16) WEISMANNUS noster in schediasmat. academ. & quidem schediasm. VI. §. XVII. p. 720. seqq. Jo. CLE-
F 2 RICUM,

44 HISTORIA DOGMATIS

RICUM, cuius supra p. 42. not. (8) fecimus mentionem, confutavit.

(17) Vid. CHAMIERI, theologi Reformati Galli, *pan-*
frat. cathol. tom. II. p. 305. n. 28. Addi meretur Jo.
HOORNBECKI, theologi quondam Ultraiectini, quem
supra nominare negleximus, *socinianismus confutatus f. 359.*

(18) TURRETINI, theologi olim Genevensis, *institut.*
theolog. elenct. part. II. loc. XII. quest. V. p. 20. seqq.
heic omnino conferri meretur.

(19) Vid. HEIDEGGERI, theologi quondam Tigurini,
corpus theolog. christianaæ, part. I. loc. IX. §. LI. p. 320.
seqq.

(20) Vid. BRAUNII, theologiae in academia Groningana
olim professoris, *doctrinum fæderum, vol. I. part. III.*
cap. II. loc. VIII. §. XV. & XVI. p. m. 362. seqq.

(21) WITSIUS in *œconomia fæder. Dei cum hominibus, libr.*
III. cap. II. p. 260. seqq. de hocce argumento copiose
differuit, & loc. cit. §. XI. seqq. p. 264. seqq. VOLKE-
RIUM, hominem socinianum, quem supra p. 40. not. (3)
allegavimus, confutavit.

(22) Vid. WYTTENBACHTUM in *tentamine theologiae do-*
gmat. tom. II. §. 1417. p. 317. seqq.

(23) Vid. STAFFERTI, theologi Bernensis, *institut. theo-*
log. polem. universæ, tom. III. cap. XII. §. CCCXXXVI.
CCCXLVII. p. 537. seqq.

(24) Exstant Jo. COCCETI *considerationes de ultimis Moz-*
fiis, ad Deuteronomii capita VI. quæ eiusdem opp. tom. II.
p. 201. seqq. inseræ leguntur.

(25) Le...

(25) Leguntur hæc verba loc. excitat. cap. XXXII. §. 886.
f. 251.

(26) Vid. WITSIUM in æconom. fæd. libr. IV. cap. XII.
§. VII-IX. p. m. 775 seqq.

§. XI.

Controversiam de notitia vitæ æternæ in vet. testamento, antiquiori jam ævo in theologorum scholis agitata, nostra ætate renovavit GUIL. WARBURTONUS, theologus Anglus, præclara alias eruditione instrutus. Edidit is celebratissimum opus: *the divine legation of Moses demonstrated* (1), saepius in Anglia reculsum (2), atque a JO. CHRISTIAN. SCHMIDIO in germanicam linguam conversum (3). In hocce libro deistis opposito divinam Mosis auctoritatem ex eo cumpromis demonstrare admittitur, quod vir iste divinus, qui veritatem doctrinæ salutaris de præmiis supplicisque post hanc vitam futuris alias probe cognitam perspetuamque habuerit (4), eiusdem tamen in legibus genti Israëliticæ præscriptis nullam prorsus fecerit mentionem, sed eandem sub typorum involucris studio & dala opera occultaverit. Exinde enim luculenter patere arbitratur vir doctus, religionem societatemque Judaicam, quæ huic fundamento haud fuerit superstruxta, quem ad modum aliæ societates inter gentes erætæ, per extraordinariam quandam supremi numinis providentiam conservatam confirmatamque fuisse. Aliter vero hac de re indicarunt complures alii in Anglia theologi, iisque eruditissimi. Obiecerunt enim

F. 3

WAR.

WARBURTONO, sententiam, quam is adstruere conetur, deistarum placitis plurimum favere, tantum abesse, ut eadem destruat, siquidem hanc ipsam ob rationem increduli isti de legibus Mosaicis abiecte sentiant easdemque explodant, quoniam in iis motiva virtutis ea-que efficacissima, a præmiis pœnisque post mortem futuris desuinta, penitus sint prætermissa (5); quod quidem adertum longe falsissimum sit, atque ex sacris veteris testamenti libris facili negotio refelli queat. Hinc mox complures adversarios nactus est WARBURTONUS, non tantum deistas arque incredulos, spe- ciatim THOMAM MORGANUM (6), medicum Londinensem, & THOM. CHUBBIUM (7), sed & theologos ecclesiæ Anglicanæ addicatos. Huc cumpri- mis spectant ARTHUR-ASHLEY SYKESIUS (8), THOMAS BOTTIUS (9), itemque anonymus qui- dam Anglus, isque doctissimus (10); ut STEBBIN- Gium, ROMAINIUM, TILLARDUM, FOSTE- RVM, RUTTERFORTIUM, MITTLETONUM, POCOKIVM aliasque, qui pariter contra Warburtonum calamus strinxerunt, haud memoremus (11). Perstitit tamen in sententia semel adoptata WARBURTONUS, eandemque in alio quodam scripto Anglice exarato, cuius titulum infra dabitur (12), ab adver- sariorum obiectionibus vindicare adnitus est. Eius partibus alii deinceps se adsociarunt (13), quem ad modum & ante eum haud pauci extiterunt, qui ad eiusdem sententiam proprius accederent (14). Solide vero eandem in Germania nostra confutavit vir do- cissimus, Jo. DAV. MICHAELIS in dissertatione le-
ctu

Etu dignissima Gcetingæ ann. MDCCLI. edita, qua argumenta immortalitatis animorum humanorum & futuri seculi ex Mose collecta exhibentur. Jungi tamen merentur, quæ celeb. THEOD. CHRISTOPH. LIENTHALIUS hanc in rem scriptis (15).

(1) Integer huius operis titulus ita se habet: *the divine legislation of Moses demonstrated on the principles of a religious deist, from the omission of the doctrine of a future state of reward and punishment in the Jewish dispensation; in six books. By WILLIAM WARBURTON, A. M. author of the alliance between church and state.* Prima eius pars prodit Londini MDCCXXXVIII. in 8. altera vero ann. MDCCXL. lucem adspexit publicam.

(2) Quarta huius operis editio ann. MDCCLV. Londini typis descripta est.

(3) Germanica huius libri interpretatio Francof. & Lipf. MDCCCL. MDCCLI. & MDCCIII. hac insignita inscriptione prodit: *göttliche Sendung Moës, aus den Grundzügen der Deisten bewiesen &c. 8.* Brevem quoque illius summam gallice dedit DE SILHOUETTE in libro, cui index: *dissertations sur l' union de la religion, de la morale & de la politique, tirées de l' ouvrage de Mr. Warburton.* Lond. MDCCXLII. in 12.

(4) Disertis verbis hoc docet WARBURTONUS libr. III. operis sui a SCHMIDIO germanice conversi, seq. I. §. II. p. 172. seqq.

(5) Objectionem hanc in primis urget TH. MORGANUS in commentatione notissima, adversus cœlestem revelationem composita, cui titulus: *the moral philosopher &c. vol. III.*

p. 118.

p. 118. seqq. Muhammedani vero, qui divinitatem legis Mosaicae haud negant, contendunt, doctrinam de præmis penisque post hanc vitam olim quidem in lege ista exstitisse, sed postea a Judæis, codicis facri corruptoribus, ex eadem rursus expunctam fuisse. Sententiam eorum hisce verbis edidit BARTHOL. DE HERBELOT: *les Muselmanns disent, que c'est l'ancien Testament, que Dieu revela à Moïse, écrit en langue hébraïque, livre qui a été alteré & corrompu par les Juifs - c'est là le sentiment des Muselmanns, qui a été recueilli de plusieurs auteurs Arabes par Hagi Khalfah.* Le même auteur dit, - que l' on n'y trouve pas aussi aucun endroit, où il seroit parlé de l'autre vie, ni de la resurrection, ni du paradis, ni de l'enfer, & que cela vient peut-être de ce, que les Juifs ont corrompu leurs exemplaires &c. Vid. eiusdem bibliothèque orientale, voce *Taurat*. Add. LUDOV. MARACCII in *prodrom. ad refutat. Alcorani* p. 13.

(6) Scriptum MORGANI, quod Warburtono opposuit, ita inscribitur: *sacerdotism displayd, or a brief examination of the rev. Mr. Warburton's divine legation of Moses* Lond. ann. MDCCXLII. 8. Erat hic ultimus famosus hujus deistæ libellus, qui hoc ipso anno die XIV. Jan. vitam cum morte commutavit. Vid. *la bibliothèque britanique tom. XX. part. II. p. 233.*

(7) Vid. CHUBBII *adpend.* quam subiunxit libello Anglico: *a discourse on miracles, considered as evidences to prove the divine original of a revelation*, MDCCXLII. 8. Add. eiusdem *posthumous works*, tom. I. p. 67. seqq. ubi inter alia comprobare admittitur, stante WARBURTONI sententia, quod Israëlitæ sub œconomia Mosaica nullam vitæ eternæ habuerint cognitionem, sponte consequi, nullam plane huius doctrinae esse necessitatem. Prodiit quoque,

que, nomine societatis cuiusdam deistarum in Anglia, aliud opusculum WARBURTONO oppositum, quod ita inscribitur: *a brief examination of the rev. Mr. Warburton's divine legation of Moses: in which the Mosaic theocracy, the nature and character of the sacred writings, the antiquity of hero-Gotts, and a future separate state of animal life and action for souls after death; with other principles and positions of that learned writer, are occasionally considered and discussed: addressed to the author by a society of Gentlemen.* Prodiit hic libellus Londini MDCCXLII. 8. ac copiose recensetur in biblioth. Britanique tom. XXII. part. I. p. 39. seqq. & p. 369. seqq.

(8) SYKESIUS ann. MDCCXLIV. edidit librum sub tit. *examination of Mr. Warburton's account of ancient legislature.* 8. Vid. de hocce libro *la bibliothèque raisonnée*, tom. XXXII. p. 475. & KRAFTII Nachrichten von den neuesten theologischen Büchern und Schriften, tom. IV. part. XXXV. p. 434. seqq.

(9) BOTTIUS pariter *an answer &c. sive refutationem operis Warburtoniani de divina Moïs legatione*, Lond. MDCCXLII. evulgavit. Vid. *la biblioth. Britanique* tom. XXIII. part. I. p. 215.

(10) Libellus huius anonymi, qui sane lectu dignissimus est; hac insignitus est inscriptione: *an examination of Mr. Warburton's second proposition, in his projected demonstration of the divine legation of Moses. In which the faith of the ancient Jewish church, touching the doctrine of a future state, is asserted and cleared from the Author's objections &c.* MDCCXLIV. 8. Vid. de hocce libello *la biblioth. Brit.* loc. cit. p. 158. seqq.

(11) Scripta, ab utraque parte edita, enumerat MASCHIUS in dem Verzeichnis der freigeisterischen Schriften, p. 121.

G

Add.

50. HISTORIA DOGMATIS

Add. KRAFTIUM, loc. cit. vol. VII. p. 207. & vol. VIII. p. 420.

(12) Titulus apologiae a WARBURTONO adornatae hic est: *Remarks on several occasional reflections in answer to D. Middleton, D. Pococke, the master of the charterhouse, D. Gray &c. serving to explain and justify divers passages in the divine legation.* London. MDCCXLIV. Vid. de hoc libro la bibliothèque raisonnée tom. XXXII. p. 473. & KRAFTIUM l. c. vol. IV. part. XXXV. p. 216.

(13) Ex iis, qui hoc fecerunt eminet auctor libelli: *the argument of the divine legation fairly stated,* Londini ann. MDCCLI. 8.

(14) Sufficiat ex iis, qui hoc fecerunt, heic nominasse JACOBUM DAVIUM, episcopum quondam Ebroicensem, GEORGUM BULLUM, SAMUELUM CLARCKIUM, qui reginæ Annae olim a sacrifici fuit, praefecitusque templo S. Jacobi Westmonasteriensis, atque episcopum KIDDERUM. Loca huic spectantia ex eorum scriptis collegit atque in medium adduxit JOACHIMUS SCHMIDUS in notis versioni germanicæ libri Warburtoniani subiunctis part. III. p. 124. seqq. & p. 169. Scriptoribus hisce Anglis ex Gallorum gente addi meretur abbas DE HOUTTEVILLE in libro notissimo: *la religion chretienne prouvée par les faits*, qui ex gallico in germanicum sermonem fuit converlus, cap. XI. §. 551. 552. 557. & 558. p. 543, 546, 547. Ut theologos Remonstrantes, de quibus supra nonnulla diximus, nec non alios, qui eorum heic vestigia sequuntur, iam taceamus. Hoc unicum vel tribus adhuc notamus, nonnullos ex iis, qui in hancce classem vulgo referri solent, ita subinde mentem suam exponere, ut a communi & recepta sententia parum discedere videantur. Neque enim simpliciter negant, fidèles vet. testamenti aliquam vitæ aeterna habuisse notitiam; sed hoc duntaxat in dubium revocare videntur, quod veritas.

tas hæc longe gravissima in veteri testamento æque clare & luculenter fuerit patefacta, ac quidem in novo testamento factum id est. Quod ipsum facile largimur. Ecquis enim negaverit, binas istas *economias claritatis* suæ gradibus plurimum differre? Conferenda, quæ hanc in rem diximus in dissert. nostra de vita æterna §. XIII. p. 33. Ceterum mirum nonnullis visum est, cur veritas hæc, quæ maximè est momenti, non clarius atque evolutius doceatur in vet. testam. libris? eiusque varia ex cogitate sunt rationes, quarum nonnullas recensuit b. WEISMANNUS noster in institut. theolog. exegetico-dogmat. p. 1171. qui & p. 1172. observat, revelationem huius veritatis illis temporibus non ita fuisse involutam atque obscuram, ut multi venditant.

(15) Vid. LILIENTHALII gute Sache der gättlichen Offenbahrung, part. VI. cap. XII. §. 160. p. 729. seqq.

§. XII.

Credentes in Christum iam in hac vita, seu in statu gratiæ adhuc constitutos, prægustum quendam vitæ æternæ habere, immo revera beatos esse, luculentis sacræ scripturæ testimoniis alibi comprobavimus (1). Observavimus vero simul, beatitatem istam, quæ in hancce vitam cadit, ut ut sit prorsus eximia, valde tamen *imperfectam* ac *inchoatam* duntaxat esse, quæ a beatitate *consummata* alterius vitæ adhuc plurimum distet (2). Atque in hoc quidem' omnes theologi, qui scripturæ sacræ ductum heic sequuntur, inter se consentiunt. Verum, quando questio instituitur: qualisnam sit ista differentia? in diversas partes abeunt disciplinæ sanctioris doctores. Sunt enim nonnulli, qui beatitudinem in regno gratiæ & gloriæ *specie* dif-
ferre

G 2

ferre statuunt; sunt contra alii, qui differentiam tan-
tum *gradualēm* heic admittunt. Disputatum hac de re
in primis est in Holsatia, ubi duo apud Glükstadienses
verbi divini præcones litiis huius fecerunt initium. Al-
ter erat NICOLAUS SIBBERN, alter CASPAR
WILDHAGEN; quorum ille adseruit inter beatitudi-
nem fidelium ac cœlitum *gradualēm* duntaxat interce-
dere differentiam; hic vero id negavit, statuisse, bea-
titudinem, quæ huius, & quæ futuræ vitæ est, non
tantum gradū, sed & specie differre. Uterque ex iis
sententiaꝝ suæ nactus est fautores strenuosque defenso-
res. Pro beatitudine huius & alterius vitæ specie inter-
fe diversa in primis pugnavit JOSUA SCHWARZIUS (3),
Daniæ regis in Holsatia superintendens generalis, cui
theologi Hafnienses HECTOR GODEFR. MASIUS,
& BARTHOLDUS BOTSACCUS (4), itemque ordo
theologorum Vitembergenium (5), speciatim Jo.
GEORG. NEUMANNUS (6), & THEOD. DASSO-
VIUS (7), ac denique theologi Rostochienses (8),
Gryphiswaldenses (9), aliqui suffragati sunt. Ex
altera autem parte beatitudinem in his terris ab ea,
quæ ad æternam vitam pertinet, non nisi gradu discre-
pare, HENR. MUHLIUS (10), primarius olim in
academia Kiloniensi theologus, FRANCISC. JUL.
LUTKIUS (11), theologus Hafniensis, Jo. HENR.
MAIUS (12), doctrinæ sanctioris in academia Gie-
fensi quondam professor, aliqui evincere adlabora-
runt. Non opus esse arbitramur, ut ubiorem hu-
iuis controversiæ inter ecclesiæ nostræ theologos olim
agitataꝝ historiam heic tradamus, cum id ab aliis du-
dum

dum abunde fuerit præstatum (13). Sufficiat nobis, vel tribus heic adnotasse: I.) quod illa de actuali fidelium in hac vita beatitudine sententia, quæ certamini huic literario dedit occasionem, nova haud sit, sed ab ipso b. LUTHERO aliisque theologis antiquioribus (14) olim iam fuerit adoptata atque defensa; II.) quod tota, quæ de hoc argumento exorta fuit, controversia magni momenti haud sit, sed ita comparata, ut non tam de re, quam voce disceptetur (15). Duplici enim significatione vox *beatitudo* accipi potest; vel in significatu *latiori*, quatenus generatim incomparabilem illam denotat felicitatem, quæ in summi boni, quod solus Deus est, aliorumque bonorum spiritualium possessione eorumdemque fruitione constitut; vel in significatione *strictiori*, quatenus speciatim visionem Dei *intuitivam*, aliaque bona statui gloriæ propria designat. Si priori sensu vox haec sumatur, recte dicitur, beatitudinem, quæ huius, & quæ futuræ vitæ est, gradibus duntaxat differre. Ast, si posteriori significatu vocem hanc accipiamus, dubitari sane haud potest, *speciei* esse, quod heic intercedit discrimen, nec eos, qui in statu gratiæ adhuc versantur, hocce sensu beatos adpellari posse.

(1) Vid. dissertat. nostram *de vita aeterna* §. III. p. 5.

(2) Vid. loc. cit. p. 6.

(3) Edidit SCHWARZIUS *theologische Belehrungen von einer sich in Hollstein erhabenen Lehre, daß die Glaubigen das ewige Leben in diesem Leben dem Anfang nach wirklich haben*. Hamburg. MDCCVI. 4. Prodiit quoque post eiusdem obitum aliud opus eristicum, *hac inscriptione insignitum:*

tum: erweiterte Widerlegung der nun sonderlich in Holstein einreissenden pietistischen gefährlichen Lehre, daß unter der Seeligkeit des Gnadenlebens der Glaubigen, hie in der Zeit, und unter der Seeligkeit des ewigen Lebens, kein wesentlicher wirklicher Unterscheid; sondern eine Seeligkeit sey; also daß wer jene hat, auch diese, zwar nicht völlig in allen, doch in vielen Güthern wirklich habe und besitze. Hamburg. MDCCIX. 4. Præcipua scripti huius posthummi contenta indicat vetu. WALCHIUS, in der Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der evangelisch-lutherischen Kirchen, part. I. p. 819. seqq.

- (4) MASII & BOTTAACCI responsa theologica, ad argumentum hoc spectantia, parti III. operis Schwarziani modo excitati adnexa conspiciuntur.
- (5) Responsum facultatis theologicæ Vitembergensis exaratum est ann. MDCCVI. d. 15. Febr. insertumque legitur collectioni responorum, qua Hamb. MDCCVI. prodiit, sub titulo: *theologische Belehrungen von einer sich im Holstein erhobenen neuen Lehre, daß die Glaubigen das ewige Leben in diesem Leben dem Anfang nach wirklich haben.*
- (6) NEUMANNI dissertat, de brabeo ante vitioriam; sive de caelesti beatitudine huius vitae, prodiit Vitemberg. MDCCVII.
- (7) Exstat DASSOVIT peculiaris tractatus de initio beatitudinis actualis gloriose in hac vita, Kilon. MDCCIX. typis descriptus, atque ibidem MDCCXIV. in 4. recusus.
- (8) Responsum ordinis theologorum Rostochiensium subiunctum est SCHWARZII erweiterten Wiederlegung &c. cuius supra not. (3) fecimus mentionem.
- (9) Responsum Gryphiswaldense typis descriptum exstat in den theologischen Belehrungen &c. de quibus vid. not. (5).
- (10) MUH-

- (10) MUHLIUS cum primis SCHWARZIO se se opposuit, ediditque libellum sub tit. die nothdringende *Anrede an Herrn D. Schwarzen &c.* nec non aliud scriptum, cui index: der unverfälschte Sinn unsers lieben Vaters D. Martini Lutheri in dem bestrittenen Lehrsatz von der würklichen Seeligkeit der Glaubigen allhier in diesem Leben, untersucht und aus allen seinen Schriften füglich zusammen getragen, Kilonii MDCCVIII. 4.
- (11) LUTKENIUS non tantum pro fuggetu in sermone quodam sacro Hafniæ recitato sententiam de actuali fidelium in hac vita beatitudine contra MASIUM, collegamus secus sentientem, defendit, sed & de eodem argumento varia edidit scripta. Cum primis hoc spectat eiusdem Rettung, darinnen D. Schwarzens brief nach der Wahrheit geprüft und dargethan wird, es sey eine in GOT-tes Wort gegründete: in unsern symbolischen Büchern wiederholte und von so vielen rechtschaffenen theologis bestätigte Lehre, daß wir Glaubigen das ewige Leben nach einigen Güthern derselbigen und dem Anfang nach hier auf Erden schon würklich haben und genießen. Jungi tamen meretur collectio scriptrorum ad argumentum hocce controversum pertinentium, quæ titulum fert: *Vier Schriften, betreffend die würkliche Seeligkeit der Glaubigen in dem Gnadenreich hier auf Erden*, Hafn. MDCCVIII. 4. De qua vid. ven. WALCHIUM in biblioth. theolog. select. tom. II. p. 916.
- (12) Vid. MAIUM in theolog. evangel. dom. XIII. Trinit.
- (13) Historiam huius controversiae dederunt NEUMANNUS in dissertat. modo excitata, & ex eo Jos. SCHWARZIUS in der erweiterten Widerlegung &c. quam pariter supra iam adlegavimus, part. I. Præcipue autem conferri heic meretur celeberr. WALCHIUS in der Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der evangel. luther. Kirche part. I. p. 816.

p. 816. part. II. p. 178. part. V. p. 183. & 776. 777. itemque in biblioth. theol. sel. tom. II. p. 915. seqq. Add. b. canc. PFAFFII *introductione in histor. theolog. litterar. part. I.* p. 387. 388. Nec prætermittendæ heic sunt singulares commentationes Jo. CHRISTOPH. PFAFFII *de inchoata beatitudine viatorum fidelium*, Tübinger MDCCIX. Jo: FRANC. BUDDEI *de beatitudine in regno gratiae exhibita*, quæ in eiusdem miscell. sacr. part. III. p. 77. seqq. exflat, Jo. SENSTII, theologi Rostochiensis, *de beatitudine nunc & tunc, a specie differant?* Rostoch. MDCCIX. & FR. GUIL. RHOSTII *de beatitudine fidelium in hac vita.*

(14) Præter theologos a MUHLIO loc. cit. iam adlegatos, in hancem classem referri meretur Jo. HULSEMANNUS, qui in pecul. dissertat. Lipsiæ habita, quæ inscribitur: *repetitio articuli IV. libri concordiae eiusque partis essentialis: an bona opera dicenda sint; aut sint ad salutem necessaria?* p. 176. sequentem in modum scribit: „habet autem illa „sententia graves autores, quod in iustificatione non so- „lum ius, nec sola possessio & proprietas vitæ æternæ tra- „datur; sed eadem specie fruitio æterni gaudii initium ca- „piat, quæ post hanc vitam plene & inamissibiliter percipi- „pitur... Huc quoque pertinet dissertatio PHILIPPE. LUDOV. HANNEKENII, theologi primum Giessensis, tum Vitembergeni, quam duduim ante motam hanc con- troversiam anno MDCLXXX. evulgavit sub titulo: *de vita beata militantium sub regno gratiae christianorum ex- ercitatio academica.* Beato quoque SPENERO exprobra- tum fuit ab adversariis suis, speciatiim theologis Vitember- genibus, quod beatitudinem, qua fideles in his terris fra-untur, essentialē atque actualē statuat. Vid. die chris- tutherische Vorstellung p. 111. seqq. Horum exemplum alii deinceps sunt fecuti, sententiamque de actuali fidelium,

qui

qui in statu gratiae sunt constituti, beatitudine inter errores, quos vulgo vocant, *pietisticos*, referre hand dubitarunt. Fecerunt id SCHELGUIGIUS, NEUMANNUS, NEUMEISTERUS aliqui. Sed suam hac de re mentem luculenter atque adcurate edisseruit SPENERUS in der aufrichtigen Uebereinstimmung mit der Augspurgischen confession p. 185. Conferenda, quæ de controversia hac Speneriana adnotavit ven. WALCHIUS, saepius iam a nobis laudatus, in der Einleitung in die Religions-Streitigk. der ev. luth. Kirche, part. II. cap. V. §. XXXVII. p. 178. seqq.

(15) Ita iam dudum ex vero iudicarunt BUDDDEUS in instit. theol. dogmat. libr. II. cap. III. §. 3. p. 612. ZELTNERUS in synopse logomachiarum, ut vulgo vocant, pietistarum p. 382. PFAFFIUS in institut. theolog. dogmat. & moralis part. II. cap. XII. §. 2. WALCHIUS loc. tit. part. II. p. 181. seqq. Huc spectat quoque euoticum Irenei ad soherum suum de pomo eridos Cimbrorum, h. e. de actuali salute & vita aeterna viatorum suffragium. MDCCVIII. 4. Auctor quidem nomen suum in inscriptione libri hand indicavit, cum autem TEUBERUM esse, constat.

§. XIII.

Discedunt tamen heic a recta veritatis via ii, qui Anglorum sermone *Quackeri*, latine trementes, seu tremuli vocantur, atque GEORG. FOXUM, sutorum quandam, familie suæ parentem venerantur. Hi enim prægustum vitæ aeternæ eosque extendunt, ut ipsam visionem, quam vocant, intuitivam complectantur. Eorum de hoc argumento sententiam uberior expositus GEORG. KEITHUS, sectæ huius propagator haud indoctus, in amica responsione ad J. W.

H

BAIERI

BAIERI dissertationem primam contra Quackeros (1), ubi eas adstruere conatus est *sensationes operationum gratiae divinæ*, eunque adeo *sensum Dei*, qui fiat sine ullo monitore externo aut signo verborum quorumcunque, quæ numinis operationes evidentiam sibi ipsis faciant. Alibi *eam de Deo cognitionem* vocat *intuitivam* atque *immediatam*, itemque *internum* quendam *Dei rerumque divinarum gustum* & *contacuum sensibilem in animis piorum*. Distinguit cognitionem hanc *intuitivam* a *symbolica & mediata*, atque illius primitias huic vita tribuit, & quidem omnibus iis, qui debitum puritatis ac *sanctitatis statum*, ad *talem cognitionis gradum requisitum*, sunt adsecuti, ut verbis ipsius utamur. Atque hanc ipsam sententiam partim ex *sacrae scripturæ oraculis*, partim vero ex *experiencia* comprobare adnititur KEITHUS, quem vero nostro hoc ævo solide confutavit Jo. PETR. REUSCHIUS (2), theologus quoniam Jenensis.

(1) Ediderat BAIERUS, theologus Jenensis, anno MDCLXXXII. primam suam dissertationem contra Quackeros, in *synopsi & examine theologiae entusiastarum recentiorum*, seu Quackerorum, quæ Jenæ MDCCI. 4. prodit, recusam. Atque ad hancce dissertationem *responsonem* supra *excitatam* edidit KEITHUS, ann. MDCLXXXIII. typis impressam: qui tamen, quum inter eum ceterosque Quackeros dissidium oriretur, hique istum cum suis sacerorum communione excluderent, ad Anglicanam ecclesiam rediit, scriptisque Quackeros oppugnavit.

(2) Vid. b. REUSCHI introdūst. in *theologiam revelatam* §. CCCXX. p. 575. seqq.

§. XIV.

§. XIV.

Beatitudinem fidelium, quæ in mortali hacce vita *inchoata* duntaxat valdeque imperfecta est, statim post discessum animæ a corpore plurimum augendam perficiendamque esse, clarissima, quæ in sanctioribus litteris exstant, oracula dubitare non sinunt (1). Extiterunt tamen omni tempore, qui a recto veritatis cœlestis tramite plurimum heic aberrarent, licet diversa id fecerint ratione. Ut enim de iis nihil iam memoremus, qui animas una cum corpore interire & olim statuerunt, & hodienum statuunt (2), fuerunt sane haud pauci, qui animæ immortalitatem admittent quidem, sed ita, ut de eiusdem conditione & statu post discessum ex corpore varios eosque haud leves admitterent errores. Huc pertinent veteres *Pythagoræi* aliique, *μετεύχοσιν* animarum statuentes (3), itemque *psychopannichitæ*, qui existimarunt, animas post mortem superstites profundo quasi somno correptas usque ad diem resurrectionis dormire (4); cui quidem errori, a recentioribus quibusdam adoptato, **VIGILANTIUS**, presbyter Gallus seculo V. clarus, aliique ecclesiæ doctores prælusisse creduntur. Locum quoque heic sibi vindicant ii, qui igniem statuunt *purgatorium*, in quo animæ piorum a corporibus separatae tam diu detineantur, misereque torqueantur, donec a reliquiis ardorium expurgatae in locum felicitatis sempiternæ intromittantur. Constat, hanc receptam publiceque adprobatam esse ecclesiæ Romanæ sententiam; ad quam & ii propius

H 2

acce-

accedere videntur, qui statum quendam medium (5) animaque post mortem purgationem in scriptis suis propugnarunt, veluti POIRETUS, ARNOLDUS, PETERSENIUS, LICHTSCHEIDIUS aliique, quos alibi nominavimus (6).

(1) Oracula ista biblica in dissertat. nostra *de vita aeterna* §. VI. p. 9. seqq. indicavimus, eorumque vim probandi ostendimus.

(2) Differuumus de iisdem in dissert. *de morte naturali*, ann. MDCCLXII. laci publicæ exposita. §. XXVI. p. 21. seqq. ubi & observavimus, eos, qui animas cum corpore interire statuunt, duplicitis esse generis; nonnullos quippe esse etrassores publiceque profiteri, animas ita interire, ut nulla restitutio spes superstes maneat; quales olim ex gentilium philosophis fuerunt Epicurei, quorum vestigia SPINOZA, HOBESIUS, TOLANDUS aliique recentiori ætate sunt secuti; alios contra esse subtiliores, statuentes, animam quidem cum corpore exsingui, resurgere autem cum eodem in die iudicii extremi. Qua quidem ratione præmissis ac pœnis post hanc vitam locum relinquere videntur. In hanc posteriorem classem pertinere diximus sectam *Arabicorum*. Seculo post Christum natum tertio exortam, itemque ex recentioribus GUILIELMUM COWARDUM atque HENR. DODWELLUM. Atque de his, quos ultimo nominavimus loco, pauca quadam scopo nostro inferuentia hec subiungemus. Primo quidem de *Arabicis* notamus, eos a patria, Arabia nimirum deserta, ubi incerto auctore nati sunt, nomen adeptos esse. Ex antiquissimis scriptoribus EUSEBIUS dissertam horum haëreticorum facit mentionem, eosque adseruisse dicit, hominum animas in praesenti quidem seculo una cum corporibus interire atque corrumphi; rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad vitam esse reddituras. Idem Eusebius auctor est.

est, ORIGENEM a synodo in Arabia congregata ad conficiendum istorum hæreticorum errorem evocatum, disputando id effecisse, ut ii, missa priori sententia, ad saniorum mentem redirent. Vid. EUSEBIUM in *hist. ecclesiast.* libr. VI. cap. XXXVII. p. 233. Quem AUGUSTINUS de haeresib. cap. LXXXIII. & NICEPHORUS libr. V. *hist. ecclesiast.* cap. XXIII. tom. I. oper. p. 372. sunt secuti. Jam quod secundo loco ad GUIL. COWARDUM, medium quondam Londinensem percelebrem, attinet, is anno MDCCII. techo suo nomine, Londini evulgavit librum anglico sermone scriptum, cui titulum præfixit: *Second thoughts, concerning human soul &c.* h. e. *cogitationes posteriores de anima &c.* in 8. qua Lond. MDCCIV. fuerunt recusæ. Scopus huius libri eo tendit, ut ostendat, doctrinam de anima, inter christianos hodie receptam, quod sit substantia immaterialis corpori unita, a paginis fuisse confitam, principisque rationis ac religionis adversam: siquidem, secundum tenorem totius sanctioris scripturæ, anima nihil aliud sit, quam vita hominis. h. e. una eademque virtus, qua homo movetur, vivit, sentit, ratiocinatur, quæque in corpore reperiatur, quam diu vivit, prorsus autem cesset, quam primum illud interit, sed rursus exstitura sit, quando in resurrectione corpus illud mortuum & in cineres redactum reviviscet. Neque tamen, quod obiter heic noramus. Cowardus primus fuit, qui orbi eruditio hanc propinavit sententiam, sed præuentem hac in re habuit alium scriptorem Anglum eundemque anonymum, in libello: *Mans mortality, or a treatise, wherein is proved theologically and philosophically, that the whole man (as a rationale creature) is a compound wholly mortal, contrary to that common distinction of soul and body, and that the present going of the soul in to heaven or hell is a mere fiction and that the resurrection is the beginning of our immortality and not before,* by R. O.

H 3.

O.

*O. Amsterdam (London) MDCXLIII. in 4. Quem vero libellum refutavit anonymus, edito scripto, cui titulus: *the prerogative of man, or his souls immortality*, in 4. fine loco impressionis. Eandem cum anonymo illo Anglo sententiam, quae vero in Anglia, ut modo diximus, mox fuit confutata, adoptavit quoque auctor libri Amstelodami MDCXCII. typis descripti, cui titulus: *cordia rationis & fidei, sive harmonia philosophiae moralis & religionis christianaæ*. Is enim mentem humanam p. 11. appellat meliorem partem hominis, constantem cerebro & infinitis eius organis, varie modicatis, adfluxu & circulations materiae subtilis. Ut vero ad ipsum COWARDUM tandem revertamur, porro iam noramus, eidem complures cosque doctissimos in Anglia viros se se opposuisse. Primus, qui calatum contra eum traxit, erat Jo. TURNERUS, qui edidit: *brief vindication of the separate existence and immortality of the soul, from a late author's second thoughts &c.* Lond. MDCCII. 4. cui cum COWARDUS opponebat libellum: *farther thoughts concerning human soul, in defence of the second thoughts, against Mr. Turner*, Lond. MDCCIII. 8. hic mox calatum resumit, atque Cowardo respondit in libro: *farther vindication of the souls separate existence and immortality, in answer to D. Coward's further thoughts &c.* ibidein MDCCIII. 4. Alter, qui contra Cowardum in aciem processit, fuit Jo. BROUGHTONUS, qui eodem anno, nimirum MDCCIII, librum Londini edidit, cui index: *psychologia, or an account of the nature of the rational soul, as an immaterial, and consequently immortal substance, against the second thoughts of Esibius psychaletes (D. W. Coward)* 8. In quo quidem libro Broughtonus COWARDUM inter atheos atque empetas referre non dubitavit: unde ansam arripuit COWARDUS, principia sua metaphysica plenius exponendi causamque suam denuo petorandi in libro Londini MDCCIV.*

CCIV. in 8. evulgato hacque inscriptione insignito : *the grand essay, or a vindication of reason and religion, against impostures of philosophy, proving 1) that the existence of any immaterial substance is a philosophic imposture and impossible to be conceived: 2) that all matter has originally created in it a principle of internal, or self motion; 3) that matter and motion must be the foundation of thought in man and brutes. With an answer to Mr Broughton's physiologie.*

Ex reliquis Cowardi aduersariis nominasse heic sufficiat WILLIAM ASHETONUM, qui *a vindication of the immortality of the soul* edidit, CAROL. LESLIEUM, qui peculiarem dissertationem Cowardo opposuit, scriptorem anonymum, qui se in inscriptione libri sui presbyterum ecclésiae Anglicanæ vocat, atque Londini MDCCII, *an antidote against infidelity &c.* evulgavit; itemque MENARDUM, scriptorem gallum, cuius exstat: *la doctrine de l'écriture sainte 1) sur la nature de l'âme, 2) sur son origine, & sur son état après la mort.* Lond. MDCCIII. 8. Vid. de hoc libro *les nouvelles de la république des lettres* MDCCIII. tom. II. p. 201. Perstitit tamen COWARDUS in sententia seimel adoptata, eandemque contra aduersarios, quos nactus est, acriter defendere conatus est, edito libello, cui titulum præfixit: *the just scrutiny: or, a serious enquiry into the modern notions of the soul &c.* Lond. MDCCVI. in 8. Legi merentur, qua de hocce scripto adnotantur in actis erudit. MDCCVII. p. 352. seqq. Addi possunt JAC. STAALKOPFFI placita quaedam Guil. Cowardi, itemque GODEFR. POLYCARPI MÜLLERI binæ dissertationes de mente, *substantia a corpore essentialiter distincta*, nec non Jo. HERM. AB ELSWICH disp. de recentioribus de anima controversiis, p. 5. seqq. Cæterum cum sententia Cowardiana proorsus convenit illa auctoris cuiusdam anonymi in schediastmate germanico idiomate scripto, & sub

sub titulo: *Zweyer guther Freunde vertrauter Briefwechsel vom Wesen der Seelen*, MDCCXIII. edito, & MDCCXXIII. recuso, proposita. Existimat enim auctor iste, id, quod nos animam vocamus, nihil aliud esse quam facultates ex mechanismo resultantes, atque hinc intelligendi pariter ac volendi, ut vocat, processum explicare admittitur, ut ex instituto ostendit b. B U D D E U S in *programmate de Arabitorum haeret., miscellan. sacr. part. I.* inferto, p. 541. seqq. Conferenda, quæ vir. celeb. J. G. WALCHIUS in *lexico philosoph.* p. 2262. seqq. de placitis scriptoris huius anonymi differunt, quem nonnulli BUCHERUM, archiatrum ducis Fürstenbergici, esse dicunt.

Supereft, ut de singulari HENR. DODWELLI, viri ceteroquin eruditissimi, sententia, pro instituti nostri ratione pauca subiungamus. Ea vero ad duas principales theses, pro quibus militat, commode reduci potest. *Prima* est: animam nostram natura esse mortalem. *Altera* hoc reddit: animam actualem immortalitatem vel ex libero Dei arbitrio ad penam, vel ad præmium ex gratia Dei per baptismum, consequi, qui vero baptismus ab episcopis legitime ordinatis, quales agnoscit ecclesia Anglicana, conferri debeat. His enim solis potestatem, spiritum divinum, immortalitatis auctorem, conferendi, competere. Ipse titulus libri, lingua Anglicana Londini ann. MDCCVI. editi, hanc DODWELLI mentem clare satis indicat. Hisce enim conceptus est verbis: *an epistolary discourse proving from the scriptures and the first fathers, that the soul is a principle naturally mortal, but immortalized actually by the pleasure of God to punishment, or, to reward, by its union with the divine baptismal Spirit. Wherein is proved, that none have this power of giving this divine immortalizing Spirit, since the apostles, but only the Bishops.* Summan huius libri exhibent auctores auct. erudit. Lips. ann. MDCCVII. mensis Maio, pag. 207. seqq. ven. Jo. GEORG. WALCHIUS in *lexico*

lexico philosoph. p. 2331. seqq. GEORG. WILH. ALBERTI in praefatione, quam parti III. epistolar. de recentissimo religionis ac scientiarum in Anglia statu premisit. Quem ad modum vero, prout cuique facile pater, hæc DODWELLI sententia non tantum ridicula, sed & impia est, mentisque humanæ immortalitatem evertit, ita merito a SAM. CLARCKIO, JO. TURNERO, EDMUNDO CHISHULL, DAN. WHITBY, THOM. MILLESIO, JO. NORRISIO, aliasque in Anglia fuit confutata. Ipse COWARDUS, quem supra notavimus, DODWELLUM in iis, in quibus ab ipsius sententia discessit, refutandum sibi sumvit in *the just scrutiny*, & quidem epistola secunda, quæ ad Dodwellum & Clarkium directa est. In ipsa Germania nostra contra Dodwellum in aciem processerunt VAL. ERN. LÖSCHERUS in *prænot. theolog.* p. 75. JONAS CONR. SCHRAMMIUS in *dissert.* Helmstad. ann. MDCCVII. habita, *de naturali animæ humanae immortalitate*. ZACH. GRAPIUS in *theolog. recens controversa continuata* p. 108. seqq. aliisque. Nec tamen tacuit DODWELLUS, sed causam suam variis scriptis defendere adnitus est. Fecit id in libello, cui titulus: *a preliminary defence of a late epistolary discourse*, Lond. MDCCVII. in cuius part. II. speciarum CHISHULLI obiectionibus satisfacere conatur. Scriptit quoque in sui defensionem *the scripture account of the eternal rewards or punishments &c.* Lond. MDCCVIII. 8. itemque *an explication of a famous passage in the dialogue of St. Justin martyr with Typhon, concerning the immortality of human soul*, ibid. MDCCVIII. 8. in cuius adpendice NORRISIUM, CLARKIUM atque CHISHULLUM refellit. Fuit etiam presbyter quidam ecclesiae Anglicanæ (cui nomen est JOHN PITT) qui DODWELLI partes in se defendendas suscepit, eiusdemque *discursum epistolarem* contra CHISHULLUM & WHITBIUM vindicavit in tractatu, cui titulus:

η χαρε; δοθεισά 2 Tim. I. 9. that is, the holy Spirit the author of immortality, or immortality a peculiar grace of the gospel, no natural ingredient of the soul &c. Lond. MDCCVIII. 8. Reliqua scripta ad controversiam hanc spectantia ob instituti nostri brevitatem prætermittimus. Conferri tamen heic velimus F.R. BROKESBY in Mr. DODWELL's hypothesis concerning the immortality of the soul. Lond. MDCCXIV. 8.

- (3) De iis, qui μετεμψυχωσιν pythagoriorum adoptarunt, differuimus in dissert. de morte naturali §. XXVII. p. 23. seqq.
- (4) De psychopannichitis vid. dissert. modo adlegatam §. XXVIII. p. 24. seqq.
- (5) Vid. quæ loco excit. §. XXIX. & XXX. p. 26. seqq. diximus.
- (6) Vid. dissertat. sèpius iam adlegatam §. XXXII. pag. 30. seqq.

§. XV.

Vix operæ videtur esse pretium, ut Judæorum quoque de statu animæ post mortem superstitiones somnia heic percenseamus. Statuunt ii, animam, cœlestis felicitatis adhuc incapacem, per integrum annum oberrare in hocce mundo, maximeque circa sepulcrum & cadaver suum versari, veteris hospitiū memorem, multaque a dæmonibus in aëre versantibus perpeti, donec in hocce purgatorio a peccatorum fôrdibus eluatur (1) dignaque evadat, quæ ad cœlestem evehatur felicitatem (2). Ita quidem inter iudæos philosophantur non fabularum duntaxat magistri, quorum ingens apud eos númerus est; sed ii etiam, qui in philosophia prin-

principia magis sobria adoptasse vulgo creduntur. Referimus in hancce classem MENASSEN BEN ISRAEL (3), gente hispanum, virum magna eruditioinis fama inclutum, cui cum celeberrimis sua ætate viris, VOSSIIS nimirum, GROTI, BARLÆO, EPISCOPIO aliisque intimior intercessit amicitia. Descendunt tamen a communi hac Judæorum sententia ii ex iudaicæ gentis doctoribus, qui Karæi vocari solent. Ex horum enim sententia mens protinus post mortem, si digna est, adscendet in mundum intellectualem, qui seculum vocatur futurum & paradisi, ut intellectuilibus adfixa vivat in sempiternum (4).

(1) Statuunt proinde Iudæi purgatorium post mortem; id quod peculiari tractatione adstruere conatus est IOSEPHUS DE VOISIN, quem hac in re secutus est BARTOLOCCIUS tom. III. biblioth. rabbin. p. 250. seqq. Conferri heic mereatur ven. BRUCKERUS in hist. crit. philosophiae tom. II. p. 902 seqq. qui Iudeos hoc commentum a philosophis Alexandrinis accepisse arbitratur. Si quis corum hac de re fabulas legere voluerit, adeat ANDR. EISENMENGERUM in dem entdeckten Iudenthum, part. II. cap. VI. p. 330. seqq. & p. 353. seqq.

(2) LEO MUTINENSIS de caerim. & consuet. iud. part. V. cap. IX. refert, Iudæorum filios, post obitum parentum, quotidie mane & vesperi in synagoga, parentum gratia, preces ad Deum fundere, atque in hoc pietatis officio per undecim menses pergere ac veluti totos esse. Conferenda, quæ hanc in rem scriperunt SAUBERTUS in paulæstra theol. phil. diff. I. p. 7. IO. A. LENT in theol. iud. hod. cap. XVII. §. IX. p. 594. IAC. WINETUS de vita funerorum statu, scđ. VIII. p. 189. & IAC. BAS-

NAGE in hist. des Iuif., tom. V. libr. V. cap. XVII. §. V. p. 306. seqq.

(3) Vid. eiusdem libr. de caerim. & consuet. iud. part. V. cap. IX.

(4) Hanc Karaeorum, qui a reliquis Iudeorum sectis distinguuntur, sententiam esse, abunde comprobarunt TRIGLANDIUS atque SCHUBARTUS, quos BASNIUS, REIMANNUS aliique secuti sunt. Conf. ven. BRUCKERUM loc. cit. tom. II. p. 742.

§. XVI.

Recensuimus hactenus eorum, qui in argumen-
to de beatitudine fidelium post discessum animæ ex-
corpore, a recta veritatis via deviant, sententias. Con-
stat vero inter omnes, felicitatem illam, quam piis
statim post mortem obtingere statuunt purioris fidei
doctores, partialem tantum esse, siquidem ad unam
tantum hominis partem, animam nimirum spectat.
Supereft itaque, ut de eorum beatitudine totali & con-
summata, quæ demum post resurrectionem mortuo-
rum animarumque cum corporibus coniunctionem
locum habebit, & in strixiori sensu vita æterna dici-
tur, pro instituti nostri ratione nonnulla adiiciamus (1).
Ad duo vero capita redeunt ea, quæ nobis heic sunt
dicenda. Primo enim ipsa conditio atque indoles vitæ
æternæ penitus nobis est consideranda. Deinde vero
de loco quoque, in quo beati consummatæ illius fe-
licitatis fient participes, dispiciendum nobis est.

(1) Vid. dissertat. nostram de vita æterna §. IX. p. 23.

§. XVII.

§. XVII.

Ut de *conditione* vitæ æternæ dicendi faciamus initium, generatim notamus, non defuisse tum antiquiori, tum recentiori hocce ævo, qui de ea eiusmodi animo efformaverint ideas, quæ non tantum false, sed & Deo indignæ atque ira comparatae sint, ut iis, quæ de futuro piorum hominum statu ipsa sana ratio dictitat, e diametro repugnant. Nolumus hanc in rem adlegare fabulas veterum gentilium de *campis Elysii*, VIRGILIO, TIBULLO aliisque decantatis (1), de quibus alibi nonnulla dicemus. Commemorabimus duntaxat MUHAMMEDEM, insignem istum Arabum impostorem, qui seculo post Christum natum septimo novam condidit religionem, cuius præcipua capita in peculiari volumine, *alcorani* nomine insignito, exhibentur. In hoc ipso autem libro paradisum celestem ubique ita descripsit MUHAMMEDES, ut totus delicias ac voluptatibus carnalibus videatur repletus, nec tantum in arboribus, fontibus, flaviis, pomis, vestibus, epulisque laitoribus, quæ omnia facilem admittunt interpretationem; sed etiam in pueris ac pueris, in uxoribus, leculis, nec non libidinis corporum commixtionibus consistat (2). Quum hæc sententia oppido falsa, quin & absurdæ sit, mirum omnino videtur; eandem recentiori quoque hoc ævo suos fautores ac propugnatores passim invenisse. Ex eorum numero fuit ANTONIUS COLLINUS (3), famosus iste deista Anglus, quem vero solide confutavit Io. PETR. DE CROUZAZ, scriptor Gallus isque doctissimus.

I 3

(1) Vid.

(1) Vid. VIRGILIIU MÆneid. libr. VI. v. 638. & v. 643.
itemque TIBULLIUM libr. I. eleg. 3. ad Messalam v. 57.
& PROPERTIUM libr. IV. eleg. 7. v. 60. Conferenda,
quaë IAC. WINDETUS in libro eruditissimo de vita fun-
datorum statu sc̄pt. VII. hanc in rem scripsit.

(2) Vid. alcoranum sura II. 25. III. 136. X. 10. XVIII.
32. XXII. 14. XXXVII. 42. XXXVIII. 52. LII. 20.
ubi dicitur: *Accumbentes super leñulos in seriem dispositos,*
& coniugabimus eos cum puellis amplos pulerosque oculos
habentes. Add. sur. LXVI. 24. LXXVI. 12. LXXVII. 41.
LXXVIII. 30. 31. 32. Sunt quidem ex recentioribus ac fa-
pientioribus MUHAMMEDIS sc̄ptoribus, qui repudiata de
paradiso mere carnali sententia, effata magistri sui parabo-
lice de voluptatibus spiritualibus explicanda esse contendunt,
summumque felicitatis cœlestis gradum in contemplatione
Dei ponendum esse statuant. Quo pertinet ipsius Muham-
medis effatum, quod exhibet POCOCKIUS in not. misell.
ad portam Moysi p. 304. ubi illos infimo inter incolas para-
disi gradu esse pronunciat, qui hortos suos, uxores, bona,
servos, leñicas spatio itineris mille annorum prospicient, eos
autem maximo in honore apud Deum esse adserit, qui fa-
ciem eius mane & vesperi contemplabuntur. Nec tamen
prosfas excusari potest Muhammedes, qui ubique in alco-
rano suo in infimo hoc beatitudinis gradu describendo sub-
sistit, atque ita de eo loquitur, ut eiusdem verba non ali-
ter, quam litteraliter intelligi queant. Unde & allegorica
illorum interpretatio ab aliis Muhammedanis penitus reiici-
tur. Conf. quæ post ANDR. RELANDUM, de hocce ar-
gumento adnotavit IO. FRID. STAPPERUS in *institut.*
theol. polem. tom. III. cap. XI. sc̄pt. II. §. XXXVIII.
XXXIX. XL. p. 310. seqq. & §. LXI. p. 318. seqq. Add.
si placet, dissertat. nostram ann. MDCCCLXI. editam de re-
ligione Muhammedica §. XI. p. 47.

(3) Cont.

(3) Constat, COLLINUM auctoreum esse epistolæ, ipsius discursui Gallico: *de la liberté de penser subiunctæ, quæ inscribitur: lettre d' un Medicin Arabe à un fameux professeur de l'université de Hall in Saxe, sur les reproches faits à Mahomed de son recours aux armes, de la pluralité des femmes, de l'entretien de ses concubines, & de l'idée de son paradis.* Londini (sive potius Hage comitis) in 8. Per professorem Halensem, ad quem hancce epistolam dixit COLLINUS, intelligitur procul dubio CHRISTIANUS THOMASIUS.

§. XVIII.

Existimant nonnulli, Iudeos quoque in eorum referendos esse classem, qui paradísum voluptatibus mere carnalibus abundantem sibi fingunt. Nec negari potest, in eorum libris subinde insultas de æternæ vitae felicitate gaudiisque fabulas narrari (1), in quibus cuncta ad corporis duntaxat voluptates referri videantur. Verum ex altera parte non sine ratione alii monuerunt, ea, quæ in doctorum talmudicorum scriptis hanc in rem leguntur, non litteraliter, sed symbolice esse intelligenda; Iudeos enim secutos esse morum ac consuetudinem populorum orientalium, qui terrenis symbolis atque imaginibus sua ornare confuerint philosophemata (2). Nec prætermittendum heic est, ipsos doctores talmudicos aliis in locis disertis verbis fateri, *seculum futurum* (qua voce vitam æternam designare solent) non ita se habere, ut *seculum praesens*, nec in eo esse eum, nec potum, nec liberorum procreationem, nec venditionem, nec emitionem, nec invidiam, nec odium, nec contentionem; sed iustos sedere coronas

coronas in capitibus gerentes, & voluptatem capere ex splendore maiestatis divinae (3). Loca his similia in Rabbinorum quoque scriptis passim deprehenduntur, quæ utpote ab aliis iam diligenter collecta, heic cumulare nolumus (4).

(1) Diligenter magnaue cum patientia hasce fabulas collegit EISENMENGERUS in dem entdeckten Iudenthum, part. II. cap. V. p. 295. seqq. Conferri quoque heic merentur, quæ ex scriptorum talmudicorum libris adnotarunt IO. LIGHTFOOTUS in horis talmud. ad nonnulla evangelistarum loca, IAC. WINDETUS de vita funditor. statu, s. VII. p. m. 131. seqq. atque ex nostris theologis ABRAH. CALOVIVS in systemate loc. theolog. tom. XII. art. VII. cap. IV. p. 353 qui & p. 354. observat, somnia ista Iudeis fabulatoribus digna ex ipsissimis eorum articulis fidei citra negotium confutari posse.

(2) Vid. præter alios, ven. BRUCKERUM, in hist. crit. philos. tom. II. p. 906. seqq.

(3) Vid. tract. talmud. berachoth cap. II. fol. 17.

(4) Fecit id, præter alios, WINDETUS loco extitato p. 145.

§. XIX.

Quænam christianorum de conditione vitæ æternæ & olim fuerit, & hodienum sit sententia, non opus esse arbitramur, ut copiosius heic edisseramus (1), quum nemo eandem ignorare queat, nisi ex scriptura sacra, cuius dictum sequuntur christiani, hospitem plane retulerit animum. Id tantum paucis heic commemorandum nobis est, prima mox rerum christianarum ætate surrexisse hæreticos quosdam, speciatim

Cerin-

Cerinthianos, ab auctore huius sectæ ita nuncupatos, itemque *Ebionæos*, statuentes, facta mortuorum resurrectione, Christum venturum in has terras, ibique regnum aliquod ereturum, per mille annos continuandum, cuius cives Hierosolymis in omni voluptatum carnalium genere (2) vivi essent. Fuerunt equidem, quod haud dissimulamus, ex antiquissimis quoque cœtus christiani doctoribus nonnulli, veluti **PAPIAS**, **JUSTINUS martyr**, **IRENÆUS**, **TERTULLIANUS** nec non alii, qui doctrinam istam de regno mille annorum pariter sunt amplexi. Verum chiliasmum, quem illi statuerunt, non fuisse istius generis, ac ille fuit, quem impuris suis cupiditatibus indulgens sibi fixxit **CERINTHUS**, ex luculento **IRENÆI** testimonio (3) facili negotio comprobari potest.

(1) Fecimus hoc in *dissertatione nostra* saepius iam excitata de vita æterna §. XXI - XXXIV. p. 40. seqq.

(2) Sunt equidem nonnulli, qui de chiliasmo **CERINTHI** moderatius sentiunt, contenduntque, eundem non illicitas ac turpes, sed honestas homineque christiano dignas voluptates intellexisse. Adoptarunt hanc opinionem duum-viri doctissimi, **THOM. ITTIGIUS** & **Io. LAURENTIUS MOSHEMIUS**, ille quidem in dissert. de *haeresiarchis aevi apostol. sect. I. cap. V. §. 7. p. 55.* hic vero in *instit. hist. christ. maioribus sec. I. part. II. cap. V. p. 457.* itemque in *commentariis de rebus christianor. ante Constantimum M. p. 199. seqq.* Sed obstant, quo minus huic sententiæ nostrum præbeamus adfensum, clarissima veterum testimonia, quæ nos condocent, Cerinthum de *carnalibus ventris & libidinis voluptatibus locutum esse*, quæ sunt verba ipsius **AUGUSTINI de haeresibus cap. VIII.** Nec

THEODORETUS haereticar. fabul. libr. II. cap. III. de Cerinthi doctrina moderatius sentit; quod & de CAIO notamus, cuius apud EUSEBIUM libr. III. hist. ecclesiast. cap. XXVIII. p. 100. hæc sunt verba: καὶ παλιν επιδύμιαις και πόνωσις εν Ιεροταλην την σαρκα πολιτευομενην δελενειν, ac rursus homines Hierosolymis degentes cupiditatibus & voluptatibus corporis obnoxios fore. Nemini potest esse obscurum, hanc loquendi rationem, cupiditatibus & voluptatibus corporis obnoxium esse, seu iis δελενειν servire, de honestis voluptratibus intelligi haud posse; prout recte ad hunc locum monuit b. BUDDEUS in commentat. hist. dogmat. de ecclesia apostol. cap. V. §. 5. pag. 449.

(3) Exstat hocce testimonium libr. V. advers. haeres. cap. XXXII. seqq. p. 452. Conf. b. BUDDEUM loc. cit. p. 451.

§. XX.

Cæterum, ubi de regno quodam Christi exter-
no ad mille annorum spatiū duraturo, quod & Ce-
rinthiani, & nonnulli veteris ecclesiæ patres, diversa
licet ratione, statuerunt, verba heic facimus, sequen-
tia adhuc paucis notamus. I.) Originem huius erro-
ris a Judæis esse repetendam, qui, ut ex ipsa historia
evangelica constat, externum aliquod atque tempora-
le Messiæ regnum sibi finxerunt (1). Unde & in ipsa
Augustana confessione art. XVII. inter iudaicas opinio-
nes refertur; II.) Eos, qui hancce sententiam olim
amplexi sunt, chiliaſtas, milliarioris, itemque millenarios,
similibusque nominibus, fuisse appellatos (2); III.) Præcipuum discrimen, quod inter chiliaſtum Cerin-
thianorum & veterum quorundam cœtus christiani do-
ctorum

Etorum intercessit, in eo fuisse positum, quod Cerinthiani voluptates corporis carnisque illecebras in regno illo millenario sibi promiserunt (3), cum contra veteris ecclesiæ patres felicitatem istius regni spiritualem intellexerint; IV.) Hanc postremam chiliastarum quorundam sententiam aliis, qui eidem suum calculum haud adiiciebant, utcunque tamen tolerabilem viam esse, ex quibus duumviro celeberrimos, HIERONYMUM atque AUGUSTINUM (4) heic nominasse sufficiat. V.) Longe lateque errorem istum sese diffusidisse, multorumque tam in oriente, quam in occidente animos olim occupasse, quin ab univerfa ecclesia Græca in hunc usque diem defendi; cum contra VI.) ecclesia latina a sententia chiliastarum, quos vocant, sensim sensimque discesserit (5), tandemque eandem tanquam erroneam publice in concilio Florentino anno MCCCCXXXIX. habitu proscripterit. Addimus tamen VII.) exstisso nihilominus, post emendationem ecclesiæ a b. Luthero suscepitam, quam plurimos, tum inter ecclesiæ Romanae socios, tum inter reformatos, tum denique inter nostros theologos, præcipue vero eos, qui fanatici vulgo adpellantur, chiliastimi defensores, in quibus Jo. GUIL. PETERSENIUS principem occupat locum. Plura hanc in rem adderemus, nisi instituti nostri id prohiberet brevitas (6).

(1) Nec tamen conditionem huius regni una eademque ratione explicant gentis iudaica doctores. Nonnulli enim illius felicitatem in rerum, quæ sensus externos voluptate quadam adficere possunt, affluentia constituant; cum contra alii bona duntaxat spiritualia, nimirum scientiæ rerum divina-

rum abundantiam, itemque iustitiam ac pacem sibi in regno Messiae promittant. Legenda, quæ hanc in rem differit R. MENASSE ben ISRAEL in libro ann. Christi MDC-XXXVI. Amstelodami edito, atque ex hispanico idiomate in latinum converso, cap. XIX. Evolvi quoque heic meretur Io. HENR. HOTTINGERUS in *dissert. de abusus patrum*, quæ in *pentade dissertat.* eius *missell.* exstat p. 17. ubi Iudæorum hac de re sententiam uberioris edisserit, & quanam ratione ea in ipsam ecclesiam christianam transierit, commonstrat.

(2) Vid. EUSEBIUM libr. VII. hist. ecclesiast. cap. XXV. nec non AUGUSTINUM de haeretib. cap. VIII. & PLASTRUM de haeret. cap. XXXVI.

(3) Ostendimus hoc in not. (2) ad §. præcedentem, p. 73. seqq.

(4) Vid. AUGUSTINUM de civitate Dei, libr. XX. cap. VII.

(5) Causa præcipua, cur ecclesiæ latiniæ doctores ab hac sententia tandem discesserint, procul dubio hæc fuit, quod sub papatu existerent, qui chiliasm principia cum aliis erroribus, aut placitis etiam, latiniæ ecclesiæ parum gratis, coniungerent. Huc spectat in primis doctrina de seculo Spiritus S. de quo peculiares extant commentationes IAC. THOMASII & ven. theologi IO. GEORG. WALCHII, le-
stu dignissimæ.

(6) Legi tamen heic potest JO. GUIL. BAIERUS in peculiari *dissertat. de regno ecclesiae gloriose, per Christum in his terris erigendo*, quæ in *decade prima disputat.* eius theolog. exstat, cap. I. ubi brevem quidem, sed adcuratam chiliasmi historiam exhibit. Iungi merentur SAGITTARIUS in *introd. ad hist. eccles.* p. 910. seqq. SCHMIDIUS in *suppl. ad h. l.* &, qui primo nominandus erat loco, IO. GEORG. WALCHIUS in der *Einleitung in die Religionsstreitig-*

streitigkeiten der evang. luther. Kirche, part. I. p. 755. in-
primis vero part. II. p. 555. seqq. & p. 592. seqq. Add.
eiusdem biblioth. theol. select. tom. II. p. 803. seqq. 813. seqq.
itemque p. 805. seqq.

§. XXI.

Sed ad aliam iam devolvimur controversiam in-
ter doctores scholasticos tum antiquiores , tum recenti-
ores, de conditione vitaæ æternæ acriter agitatam. Di-
sputarunt quippe super quæstione : an beatitudo vitaæ
futuræ præcipua quadam ratione ad intellectum , an
vero ad voluntatem pertineat ? seu, quod perinde est,
num in *visione* potius , quam in *fruitione* seu *amore*
consistat ? THOMAS de AQUINO eiusdemque secula-
tores, qui Thomistarum nomine veniunt, contendunt,
beatitudinem pertinere ad intellectum inque *visione*
Dei consistere (1). Ast IO. DUNS SCOTUS, inter
alia THOMÆ AQUINATIS dogmata , hoc etiam,
quod modo commemoravimus , sibi impugnandum
summis, atque cum adseclis suis, qui *Scotifæ* vocari so-
lent, adseruit, beatitudinem futuram spectare ad vo-
luntatem, ideoque in *amore* Dei collocandam esse (2).
Sunt tamen nonnulli ex scholasticis, iisque recentiori-
bus, qui utramque sententiam æque probabiliter de-
fendi posse statuunt (3). Unde rem in medio relin-
quent, atque επεχεστι: aut, si disputant, in utramque
partem disputatione, atque utriusque partis argumenta
solvunt. Dudum vero observarunt theologi prote-
stantes , plerosque, ex antiquioribus maxime scholæ
doctoribus, in eo plurimum peccare , quod dividant
coniungenda & seorsim velint sitam esse vitam æter-
nam

K 3

nam, vel in *visione*, vel in *amore*, cum coniunctim. in *visione* atque *amore* Dei sit collocanda: ut nec visio sine charitate, nec charitas sine visione, sed visio cum charitate, & charitas cum visione coniuncta formam vitæ æternae constitutat (4). Atque hanc sententiam ipsa sanctior scriptura confirmat, quæ futuram piorum felicitatem modo per *visionem*, 1 Cor. XIII. 12. 2 Cor. V. 7. 1 Joann. III. 2. modo per *charitatem* & omnimodam sanctitatem 1 Joann. IV. 16. 1 Cor. XIII. 13. describit.

(1) Vid. THOMAM I. 2. quæst. III. art. 4. & sectatores eius, CAPREOLUM, PALUDANUM, SOTUM, BECANUM, ARRIAGAM aliosque, quibus adspicuntur DURANDUS, ad 4. disf. 49. Adjungimus iisdem ex Reformato D. N. TILENUM, theologum quondam Sedanensem, tom. II. disput. theolog. LXVIII. thes. 20. & ex recentissimis ecclesiæ romanæ doctoribus cardinali GOTTI in theol. dogmat. scholast. tom. II. tract. I. quæst. II. de beatitudine dub. IV. §. 3. & 4. p. 22. edit. Venetæ in fol.

(2) Vid. SCOTUM cum plerisque Scotis ad 4. disf. 49. Ex recentioribus hanc causam cum primis egit ALPHONSSUS A CASTRO libr. III. adversus haeres. in voce beatitudo.

(3) Ex iis, qui utramque sententiam &que probabiliter defendi posse starpunt, eninet GREGORIUS DE VALENTIA ad 1. 2. disp. I. qu. 3. puncto 4. Eidem ex Thomistis ad latus ponit meretur IO. ALPHONSSUS CURIEL, ad 1. 2. q. 3. tract. de essentia beatitudinis, quæst. 9. §. 7.

(4) Fuerant ex ipsis scholasticis nonnulli, qui hanc amplexi sunt sententiam, atque tum intellectus tum voluntatis actum, h. e. & visionem Dei & eiusdem amorem atque fruitionem

hinc

heic coniunxerunt. Fecerunt hoc BONAVENTURA, pater purpuratus, HUGO DE S. VICTORE, RICHARDUS DE MEDIAVILLA, THOMAS DE ARGENTINA, itemque VEGA, CORDUBA, SUAREZ, aliquie. Jungi merentur ex ecclesiæ reformatæ theologis GIBERTUS VOETIUS selenit. disput. theolog. part. II. p. 1230. & FRANC. TURRETTINUS in institut. theolog. elemet. part. III. p. 681. seqq. ex nostratibus vero IO. GERHARDUS in loc. theor. loc. ult. de vita aeterna §. CXIX. ABRAM. CALOVIVS in synt. loc. theor. tom. III. p. 1234. QUENSTEDIUS in system. theolog. part. I. p. 811. seqq. & b. BUDDEUS in institut. theolog. dogmat. p. 618. seqq. Licit vero utramque anima facultatem, tam intellectum, quam voluntatem concurrere statuant nostri theologi, si homo beatus dici debeat, addunt tamen, vitam beatam præcipua ratione in voluntate, adeoque & amore consistere.

§. XXII.

Hicce præmissis, porro notamus, de *visione Dei*, quæ intellectum beatorum perficit (1), & ut modo diximus, cum charitate coniuncta formam vitæ æternæ constituit, varias in theologorum scholis quæstiones motas esse. Quæsitus inter alia fuit: an visio ista Dei beatifica oculis corporeis fieri queat? itemque, an immediate ipsam essentiam Dei visuri sint beati? Fuerunt haud pauci, qui adfirmantem heic adoptarunt sententiam, dissentientibus multis aliis, qui quæstionem hancce negandam esse censuerunt. Utriusque sententiae fautores ac propugnatores alibi iam nominavimus (2), iisque, qui adserunt hocce negant, ex recentissimis cœtus Romani doctribus VICENT. LUDOV. GOTTI, ordini prædicotorum adscriptum, controversia-

versiarum in academia Bononiensi professorem, tandemque ad cardinalitiam dignitatem elevatum, iam adiungimus (3). Sunt vero & aliae, quae a doctribus scholasticis moveri heic solent, quæstiones: verb. grat. an & quomodo humana Christi natura, in terris adhuc constituta, Deum viderit visione beatifica, hoc est *per essentiam* (4)? item, an & virgo Maria hocce privilegio fuerit exornata? porro, an alii quoque homines in hac mortalitate constituti viderint, aut videre queant Deum per essentiam? nec non, an visio ista, quæ divo Paulo, quamquam adhuc viatori, obtigit 2 Cor. XII. 4. & visio beata *comprehensorum* eiusdem sint specie (5)? Ast his aliisque quæstionibus, quas copiose pertractarunt doctores scholastici (6), recensendis ac dijudicandis heic non immorabimur.

(1) Vid. dissertationem nostram de *vita aeterna superiori anno* editam, §. XXIII. p. 49. seqq.

(2) Vid. loc. cit. p. 51. seqq. in nota.

(3) Vid. eiusdem *theolog. dogmatico-scholasticam*, supra iam excitatam, tom. I. tract. III. de *visione Dei*, dub. V. §. 2. p. 150. seqq.

(4) Vid. præter THOMAM aliosque scholasticos, HIERON. ZANCHIUM, theologum Reformatum, libr. II. de *incarnatione*, quæst. XI. thesi 2. qui scholasticorum conceptibus insistit. Paulo aliter de hoc arguento sentit FRANCISCUS GOMARUS ad Lut. II. 52.

(5) Vid. cardinalem GOTTI loco excitat. tom. II. tract. I. quæst. II. de *beatitudine*, dub. VII. §. 3. p. m. 31. seqq. Ex nostris theologis hancce quæstionem breviter pertractavit IO. FUCHTIUS in *lessonib. theolog. disput.* XII. §. 1.

p. 191. seqq. Add. eiusdem dissertationem singularem de verbis Pauli ineffabilibus, Rostoch, MDCCVI. editam.

(6) Nec tantum doctores, qui vocantur scholastici, sed & alii, qui recentiori ævo hoc argumentum excusserunt, heic sunt consulendi. Ex nostris I. O. ADAM OSIANDER, cancellarius olim Tubingensis, peculiarem tractatum sub titulo: *Deus in lumine gloriae delineatus*, Tub. MDCLXVI. in 4. edidit. Disputavit quoque Rostochii GEORG. FABRICIUS de *visione Dei passiva* ann. MDCLXXIV. In academia Ultraiectina ann. MDCLI. duas dissertationes de *visione Dei per efficiam luci publicae exposuit* GISEBERT. VOETIUS, quæ in dissertat. eius selectæ iunctim editis part. II. p. 1193. seqq. fuerunt recusæ. Exstant etiam peculiares de *visione Dei beatifica* dissertationes LOESCHERI & WALTHERI, itemque GEORG. CALIXTI & CHRISTOPH. AUGUST. HEUMANNI in actis erud. Lips. MDCCXIV. p. 108. seqq.

§. XXIII.

Ex reliquis, quas nonnulli de conditione vitæ æternæ adoptarunt, sententiis, binas adhuc paucis commemorabimus. Prima eorum est, qui scripturæ dum deserentes, nullam aliam admittere volunt beatitudinem, quam quæ in *animi tranquillitate* consistat atque ex vita bene peracta per necessariam quandam consecutionem fluat. Eiusmodi statum beatitudinis animo sibi efformasse videtur FRIDERICUS VAN LENHOF, ecclesiæ Reformatae Swollenensis in Batavia quondam minister, qui libellum belgica lingua exaratum, sub titulo: *cœlum in terra* ann. MDCCIII. Amstelodami edidit (1), multosque eapropter nactus est adversarios (2). Altera sententia est THOMÆ BURNETI,

L

Angli

Angli doctissimi, ann. MDCCXV. demortui, quam
is in libro *de statu mortuorum & resurgentium* (3) cum
orbe erudito communicavit. Mira vero sunt eiusdem
hac de re cogitata (4), atque ita comparata, ut subinde
ad hypotheses mere precarias redeant, & vix aliam
beatitatem, quam speculativam creaturarum & philo-
sophicam magis, quam christianam, nobis exhibeant.
Ea tamen, quæ de maximo cognitionis Dei rerumque
divinarum in altera vita augmentatione in medium attulit
vir celeberrimus, ad sensum theologorum facile int-
petrabunt.

(1) Germanica quoque huius libri versio lucem adspexit pu-
blicam, hac insignita inscriptione: *der Himmel auf Erden;*
oder eine kurze und klare Beschreibung der wahren und be-
ständigen Freude, so wohl nach der Vernunft, als der hei-
ligen Schrift für allerley art Leuthen in allerley Vorfällen.
Amstel. MDCCVI. 8.

(2) Fuerunt ex ecclesiæ Reformatæ theologis, qui libri hu-
ius auctorem in spinozismi adduxerunt suspicionem, eidein-
que non tantum in sermonibus sacris, sed & scriptis pu-
blicis fortiter sese opposuerunt. Fecerunt id FLORENTI-
NUS BOMBLE, verbi divini apud Amstelodamenses præ-
aco, TACO HAIO VAN DEN HONERT, IO. CREYGH-
TONUS, IO. SLUITERUS, FRANC. BURMANNUS,
IO. COCCEIUS, aliquie, Historiam huius controversiæ
dederunt GOTTLIEB FRID. IENICHEN in *historia*
spinozismi Leenhofiani, Lipsiæ MDCCV. in 8. excusa, &
ven. IO. GEORG. WALCHIUS in *der Einleitung in die*
Religionsstreitigkeiten, welche sonderlich außer der evan-
geliisch-lutherischen Kirche entstanden, part. III. cap. IV.
§. XLIV. p. 903. seqq. itemque in *biblioth. theolog. selecta*,
tom. I. p. 685. & 730. seqq. Add. IAC. FRID. REIMAN-

NUX

NUS in hist. universalis atheismi p. 487. seqq. & in catalogo bibliothecae suae theolog. p. 1059. ubi inter alia observat. LENHOFIUM statuisse, cælum & infernum dari nullum. qualis vulgo creditur. Hoc certum, quod omnes ii, qui non aliam admittunt beatitudinem, quam, quæ in animi tranquillitate posita est, si modo quandam post hanc vitam remunerationem credunt, data opera nescire velle videantur, quæ scriptura hat de re docet, aut significare, quod rationis saltum, non autem scripturae sacraeflare velint decreta, ut b. BUDDEI verbis, quæ in eius institut. theor. dogmat. p. 679. exstant, utamur.

- (3) Prodiit hicce BURNETI libellus post obitum auctoris ann. MDCCXXVI. s. Sub examen eundem vocavit laudissimus WALCHIUS, in peculiari dissertatione de statu mortuorum & resurgentium, quæ in eius miscellanea sacra p. 258. postea fuit translata. Scriptus quoque LUDOV. ANTON. MURATORIUS librum de paradiſo regnique celestis gloria, Veron. MDCCXXXVII. Burneto operatum.
- (4) BURNETI sententiam de genere & modo felicitatis seipiternæ copiose edifferuit Io. MARCKIUS in expectatione futuræ gloriae Jesu Christi, libr. III. cap. XI. §. III. & IV. p. 754. seqq.

§. XXIV.

Pergimus itaque ad aliud argumentum, ædificationi animarum nostrarum magis inserviens, illud nimurum de diversis gradibus glorie beatorum. Veritatem hancce in ipsis sanctioribus litteris luculenter fundatam, unanimi quasi consensu omnes olim docuerunt cœtus christiani doctores, tam Græci, quam Latini. Primus, qui eandem in dubium revocare ausus est,

L 2

fuit

fuit monachus quidam Italus, cui nomen erat JOVIANUS. Is enim seculo quarto ad finem vergente, partim Romæ, partim vero Mediolami, varias sparisse dicitur errores, interque alia statuisse, omnium, qui fidem Christo in baptismo datam servaverint, *unam esse in regno cœlorum remunerationem, seu æqualem gloriam* (1). Damnavit vero Jovinianum eiusdemque sectatores SIRICIUS, ecclesiae Romanæ episcopus, congregato Romæ concilio anno CCCXC. cuius vestigia AMBROSIUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS aliique sunt secuti, licet Joviniani sententia, si in nexu cum aliis doctrinis, quas adstruxit, spectetur, benignam admittere videatur interpretationem, prout alibi uberior ostendimus (2). Qui in subsequentibus seculis floruerere scriptores ecclesiastici veritatem doctrinæ de variis beatitudinis gradibus puram intemerataque conservare suarum duxerunt esse partium. Licet enim nonnulli eorum, quando de inæqualitate graduum gloriae verba fecerunt, vocem *meriti* subinde adhibuerint, eadem tamen non in sensu *strictiori*, sed *latiori* usi sunt, quatenus verbum *mereri* idem est ac *aliquid consequi vel impetrare* (3). Aliter tamen pronunciandum de iis, qui scriptores ecclesiasticos antiquiores subsecuti sunt, doctoribus nimirum scholasticis. Hosce enim, hominem suis operibus, uti vitam æternam, ita & varios eius gradus *proprie mereri*, olim statuisse, ipsiusque gloriae, qua ccelites gaudent, prærogativas *laureolas* adpellasse, alibi abunde comprobavimus (4). Evidem, statim sub initium reformationis ecclesiae, doctrinam de gloria beatorum variisque

riisque eius gradibus ab ipsis scholasticorum commen-
tis repurgavit b. LUTHERUS, quod & Io. CALVI-
NUS aliique fecerunt. Verum, ex una parte nonnulli
ex Reformatis Calvini sui sententiam rursus deserue-
runt, statuentes, nullos esse gloriæ gradus in vita æ-
terna (5); ex altera autem parte ecclesiæ Romanae se-
ñatores antiquorum scholasticorum doctrinam reti-
nuerunt, præmiorumque cœlestium diversitatem sola
meritorum inæqualitate niti, docere perrexerunt, in
eos, qui ab ipsis heic dissentient, anathematis fulmen
evibrantes (6). Minores nonnullas, quæ civitatem
christianam hodie scindunt, familias brevitatis studio
prætermittimus (7).

(1) Vid. HIERONYMUM libr. I. adversus Iovinianum
cap. II. atque AUGUSTINUM, tum libr. de haeresib.
cap. LXXXII. tum libr. II. retrahat. cap. XXII.

(2) Vid. dissertat. nostram de diversis gradibus gloriae beato-
rum, §. V. p. 18, 19.

(3) Exemplis in medium adductis hoc ostendimus loc. cit.
§. VII. p. 21. seqq.

(4) Fecimus id loco excitato §. VIII. p. 27.

(5) Fuit hæc sententia PETRI MARTYRIS, DANIELIS
TILENII, GEORG. SCHOENFELDII, FRID. SPAN-
HEMI & IO. VERDERII, de quibus in dissertat. saepius
adlegata §. XIII. p. 44. seqq. abunde differuimus.

(6) Fecerunt hoc patres concilii Tridentini can. XXXII.
ſeff. VI.

(7) Non possumus tamen hac occasione silentio præterire sin-
gularem sententiam, quam ex Reformatis NICOLAUS
NONNENIUS, theologus quondam Bremensis, isque do-
ctissimus,

Etissimus, in disput. de aut̄a beatorum gloria post consummationem mediatoris, in medium attulit. Sententia eius luc reddit: 1) fideles, qui ante Christum obierunt, in gradum veræ, summa & æternæ beatitatis ipsis competentem fuisse introductos; 2) gloriam, perfectionem & beatitatem creaturæ, quæ semper est finita, augmenta adquirere posse, 3) actu auctam esse beatitatem fidelium post Dei regnum introitum in gloriam, sive quod idem est, perductos esse illos salvatos ad istum gradum, quo fruuntur omnes spiritus iustorum consummatorum. Atque hoc ipsum adsertum 4) ex oraculis scripturæ Ebr. XI. 39, 40. IX. 8 - 24. itemque ex ingressu Christi, summi pontificis, in eccliam, nec non ex bonis melioris testamenti, morte Christi ratificandi, aliisque in epistola ad Ebræos indiciis, ac denique ex incremento gloriæ angelorum post consummationem Iesu Christi, comprobare admiritur vir doctissimus. Non patitur instituti nostri brevitas, ut & reliqua momenta, quæ ad illustrandum hocce argumentum pertinent, heic adducamus, examinique theologico subiiciamus, licet illud aedificationi investigatione sit dignissimum.

§. XXV.

Supereft, ut de loco beatorum, pro instituti nostri ratione, nonnulla subiungamus. Non opus vero esse arbitramur, ut vel de gentilium campo Elysio, de cuius situ incredibilis est sententiæ diversitas (1), vel de paradiſo carnali Judæorum & Muhammedanorum, de quo supra nonnulla diximus (2), copiosius heic differamus. Subsistimus in iis, quæ, præente scriptura sacra, de loco felicitatis sempiternæ tradiderunt tum antiquiores, tum recentiores cœtus christiani doctores. Equidem in eo omnes facile consentiunt, cœlum futurum esse beatorum domicilium, ibi enim, secundum effatum servatoris, multa merces est, Matth. V. 12. Verum, cum cœlorum varia sit in sanctis litteris significatio (3), hæcque phrasis haud raro si-
gurata

gurare sit intelligenda, mirum videri haud deber, si in determinando *cœlo beatorum*, ubi & quale illud sit, plurimum titubent theologi, quorum diversa de hocce arguento cogitata in unum quasi acervum conglobata, breviter dilucideque iam exponemus.

(1) Legenda, quæ de situ campi Elysii post multos alios scripsit LACKEMACHERUS, professor quondam Helmstadiensis isque doctissimus, *observat. philolog. part. II.* pag. 45.

(2) Vid. supra §. XVII. p. 69.

(3) De variis *cælorum* in sacris litteris significationibus evolutione potest PETR. RAVANELLUS in *biblioth. sacra*, voce *cælum*. Add. Jo. CASP. SUICERUM in *thes. ecclesiast.* tom. II. p. 519, voce *ερανος*; & b. cancell. PFAFFIUM in *dissert. de cœlo beatorum* §. 1. p. 2. seqq.

§. XXVI.

Qui ecclesiæ Romanæ placita sequuntur, itemque ecclesiæ Reformatæ theologi, nec non ARMINII discipuli, quin & ii, qui in SOCINI castris militant, in eam ingrediuntur sententiam, beatos recipiendos esse in *cœlum* non qualemunque inferius, aëreum, vel stelliferum, quod vocant; sed supremum proflus terræque nostræ oppositum, nimirum *empyreum*. Cœli autem *empyrei* nomine intelligent locum quoad *substantiam* subtilissimum, quoad *qualitatem* lucidissimum, quoad *durationem* indefectibilem ab *intrinseco*, quoad *situm* supra *cœlum* hocce adspettabile omnesque stellas possum. Unde Deus, habitans in *cœlo*, dicatur habitare in excelsis, altissime, *Deut. IV. 39. psalm. CII. 20. Luc. II. 14. XXIV. 49. Iac. I. 17.* & Christus adscendens in *cœlum*, dicatur erectus suis supra omnes *cœlos*, *Eph. IV. 10.* in quo & iam continetur, *Act. III. 21.* unde & redditurus iste sit ad iudicium, *Act. I. 11. 1 Thess. IV. 16.* Addunt, esse hoc idem illud *cœlum*, in quod raptus fuit Paulus *2 Cor. XII. 1. seqq.* idque primo statim die suis creatum. Negari tamen haud potest.

potest, doctores, quos vocant, scholasticos, carnalibus quandoque speculationibus indulgentes, de celi huius situ, locatione & qualitatibus crassas admodum ideas sibi fixisse, quod exemplis in medium adductis abunde comprobarunt viri eruditii (1).

(1) Fecerunt id Jo. BRENTIUS in *sententia de libello Henr. BULLINGERI*, cui titulus est: *tractatio verborum domini: in domo patris mei mansiones multae sunt*, p. 34. b. seqq. oper. tom. VIII. f. 889. seqq. BALTHAS. MEISNERUS in *philos. sobria, part. I.* p. 439. JAC. MARTINI in *anti-Betano, part. II.* p. 66. seqq. aliisque.

§. XXVII.

Quod ad ecclesiam nostram atinet doctores, iis cælum empyreum, quod modo descripsimus, vel eam ob rationem haud parum videtur esse suspectum, quod de eiusdem creatione in libro Geneseos nec vola nec vestigium occurrat. Urgent quoque, colum beatorum aliud esse opertore a cœlis, qua statim sub initium mundi condidit Deus. Hæc enim peritura esse, secundum effatum servatoris, *Luc. XXI. 33.* illud vero esse æternum, *Luc. XVI. 9.* & *Cor. V. 1.* *Ebr. XII. 28.* Dici quoque in sacra scriptura, Deum novum beatorum cælum adhuc esse creaturum, *Ezaj. LXV. 17.* *LXVI. 22.* & *Petr. III. 13.* *Apost. XXI. 1.* quod fieri haud posse, si illud inde ab initio creationis jam exstitisset. Ut complures alias, quas huic sententiæ opponunt, difficultates, ob brevitatem instituti nostri, silentio heic prætereamus. Negant itaque plerique ex theologis nostris, maxime antiquoribus, cælum esse locum quendam certum, euunque creatum, supra colum hocce adspectabile positum; sed esse statum vera solidæque, quin æternæ felicitatis, a statu damnatorum infinitis modis distante, qui sub figura loci in sanctis litteris metaphorice describatur. Monent etiam, quando huic beatorum cœlo superior quidam locus in sacro codice adfigetur, id non fieri ratione situs, sed ratione excellentiae. Sic

de

de ipso Jehovah dici, eum esse *in sublimi*, *psalm. XCIII. 4. CXIII. 5. Luc. II. 14.* quod non τοπικως de loco aliquo sublimi, sed de sublimitate maiestatis sit explicandum; Deum enim esse *excelsum super omnes gentes*, *psalm. CXIII. 4.* Addunt porro, quando de adscensione Christi in cœlum sermo est, eandem quidem veram fuisse atque realem, qua corpus Christi in monte oliveti sursum versus translatum atque interventu nubis oculis apostolorum fuerit subductum; At Christum non pertransiisse cœlum, quod vocant, stellatum, sed statim ingressum esse cœlum gloriae & maiestatis divinae, quod loco circumscribi nesciat, *Joann. III. 13. Ephes. IV. 10.*, inque his quoque terris subinde conspicuum se præbeat, *Matth. XVII. 2.* unde & diabolus subinde in cœlo compareat, siquidem Deus cœlum gloriae suæ ubique secum gerat, *Job. I. 6. II. 2. 7.* (1) Plura non addimus (2), quia instituti nostri ratio id haud patitur.

(1) Conferri heic velim BROCHMANDUM, theologum Danum, in *syst. theol. part. II. f. 635.* & MEISNERUM in *philos. sobria, part. I. p. 43r.*

(2) Plura haec in rem scripserunt post BRENTIUM oper. tom. VII. MEISNERUS loc. cit. part I. p. 439. seqq. p. 550. seqq. JAC. MARTINI in anti-Betano, part. II. p. 66. CALOVIUS, QUENSTEDIUS aliisque.

§. XXVIII.

Iam vero porro & hoc notandum, eos, qui negant, dari certum aliquod beatorum habitaculum a Deo creatum, rursum in varias abire partes. Nonnulli enim existimant, cœlum beatorum esse ipsum Deum, vel maiestatem & gloriam divinam, in qua Deus semper atque ab æterno exstiterit, immo esse istum felicitatis *flatum* (1), in quo versentur beati, non *locum*. Atque hæc fuit sententia JO. BRENTII, IAC. ANDREÆ, IO. HÜLSEMANNI, ABRAH. CALOVI, aliorumque, quos nominare supersedemus (2). Difcedunt tamen ab his alii, fla-

M

tuen-

tuentes, cœlum beatorum, licet πρωτως statum beatitatis cœlestis designet, δευτερως tamen denotare certum aliquod πτ, in quo beati cœlites visione Dei fruantur. Ita MELCH. NICOLAI, IO. GERHARDUS, CASPAR. ERASM. BROCHMANDUS aliique quam plurimi sentiunt (3), quibus GODOFR. HOFFMANNUM, eximium quandam academiz Tübingeris theologum, adiungimus (4). Nolunt tamen viri isti præstantissimi definire, num πτ illud sit *creatum*, vel *increatum*, aut aliquando demum *creandum?* corporeum an spirituale?

(1) Vel tribus heic notamus, huic sententia, quam plerique ex nostris theologis amplectuntur, nonnullos quoque ex cœtus reformati doctoribus suum adiicere calculum. Fecit id præter alias FRID. A DOLPHUS LAMPIUS in *commentario evangelii secundum Ioannem*, ad cap. III. v. 13. tom. I. pag. 594.

(2) Nominavit eosdem celeb. cancell. PFAFFIUS in dissert. modo extitata §. VI. p. 13. seqq. qui & ibidem scripta istorum theologorum in notis textui subiectis adlegavit.

(3) Huius sententia propugnatores recensuit laudatiss. PFAFFIUS loc. cit. p. 14.

(4) Vid. eiusdem *synops. theolog. prioris dogmat.* p. 1085.

§. XXIX.

Nec tamets silentio heic possimus præterire, fuisse ex theologiis nostris, qui adseruerint, cœlum beatorum esse πτ *creaturn*, idque *materiale*, quæ quidem sententia ad eam de cœlo empyreo proxime accedit. Adoptavit eandem GEORG. CALIXTUS, theologus quandam Helmstadiensis, cui cum IO. HÜLSEMANNO, theologo primum Vitembergenfi, postea vero Lipliensi, hac de re controversia (1) intercessit. Alii tamen theologi πτ aliquod *spirituale* statuere maluerunt, ex quibus IO. CONR. DANNHAVERUM atque IO. FECHTIUM heic nominasse sufficiat. Argumenta, quibus nonnulli ecclesiæ nostræ

nostre theologi π& aliquod beatorum , idque vel *creatūm*, vel *increatūm* habiliare adnisi sunt, in compendio exhibit b. cancellarius PFAFFIUS (2) qui & observat (3) theologos nostros Tübingerenses , olim adseruisse ; π& istud esse *increatūm*, idque cum π&, in quo mundus est, comparasse, quam sententiam GERHARDUS quoque, itemque BROCHMANDUS & CALOVIVS adoptaverint.

(1) Vid. de hac controversia ven. WALCHIUM in der Einleitung in die Religions-streitigkeiten der evangelisch-luther. Kirchen, part. I. p. 402, 403.

(2) Fecit id vir laudatiss. in dissert. s̄epius iam allegata de cœlo beatorum , §. VII. VIII. & IX. p. 16. seqq.

(3) Loc. cit. p. 15.

§. XXX.

Diversis hisce, quas theologi nostri adoptarunt, sententiis iure meritoque adiungimus eam, quam laudatissimus cancellarius PFAFFIUS amplexus est. Ea vero hoc redit: „ I.) esse alii quam iustorum consummatorum & beatorum, angelorum item sanctorum congregationem, in qua Deus O. M. sele iisdem vindendum immediate atque fruendun præbeat. II.) Hanc certato cuidam loco mundano atque creato, qui & supra cœlos ad spectabiles situs sit, non adligatam, nullumque ipsius π& creatum esse, sed π& illius esse ipsum Deum, in cuius blandissima manu & dulcissimo gremio spiritus beatorum recumbant & siti finit. III.) Hanc manum, hoc gremium divinitatis esse cœlum gloriae, in quo maiestas divina remotis velis sepe plenissime manifestet, in quo Deus felicitate inenarrabili beatos recreet & intime perfundat, e quo Christus descendenter, ubi incarnatus est, in quod & adscenderit – – IV.) In hoc cœlum beatitudinis transferri omnes, qui salventur. V.) Hoc cœlum, destructis cœlis creatis & terra creata, nobis, qui salvamur, adparitum illico, & splendore suo, magna admiratione, tan-

M *

„ quam

„ quam novum prorsus , animos nostros oculosque perculsurum
 „ esse . VI .) Typum huius novi celi esse 1) paradisum , 2)
 „ sanctum sanctorum in tabernaculo Mosaico , & templo vete-
 „ re , 3) terram Canaan , 4) ecclesiam novi testamenti , vete-
 „ ribus umbris succedentem , maxime vero 5) statum illum ec-
 „ clesiae gloriose , quo eandem post destructam idolatriam ,
 „ post conversos gentiles & Iudeos , post destrutum quoque
 „ Antichristum , & regna gloriae Dei aduersa , sub finem mundi
 „ amplificat & exornat dominus . VII .) Placuisse Spiritui fan-
 „ cto , in sacris litteris sub uno eodemque emblemate saepius &
 „ typum , maxime sequiorem & intermediate , & antitypum si-
 „ stere , & descriptionibus , a splendorc terreno & rebus mun-
 „ danis defunctis & ecclesiam militante & triumphantem maxi-
 „ me , metaphorice nobis depingere . VIII .) Etsi autem
 „ haec representatio sit emblematica & metaphorica , tamen rea-
 „ lissimam & praestantissimam beatitudinem , quam nemo homi-
 „ num enarrare valeat , descriptionibus istis indigitari , quæ
 „ propria sit , quæ in deliciis exstantissimis & summis consistat .
 „ IX .) Etsi gloria & maiestas divina sit immensa atque omnia
 „ replete , tamen cœlum gloriæ id tantum dici , ubi Deus amore
 „ suum creaturis beatis manifestet , nec cœlum beatorum immen-
 „ sum esse , sed choro limitari , qui a damnatorum multitudine in-
 „ fernoque infinitis parasangis dislitter . Subiungit tandem vir ce-
 „ leberrimus X .) haec verba : „ Ex quo patet , nos cœlum bearorum
 „ creatum , vel creandum , voce proprio sumta , haud statuere ,
 „ atque omnes corporeas & crassas ideas hic exesse itibere &
 „ emblematum sacrorum nucleus potius , quam corticem heic
 „ degustare . Haecenus laudatissimus PFAFFIUS (1) ,

(1) In dissertat. saepius iam allegata § . XII . p . 34 . seqq .

§ . XXXI .

PFAFFIO , qui iam ad cœlites abiit , iure meritoque ad-
 iungimus venerandum collegam nostrum , CHRISTOPH. FRID.
 SARTORIUM , quem Deus inter mortales versari iubeat quam
 diutissa ,

ditissime! Is vero suam hac de re mentem, nervose, ut solet,
 & quidem sequentem in modum expressit: „Cum beati post re-
 „surrectionem habituri sint corpora, atque adeo *in loco* futuri,
 „& ibi, ubi Christus est, *una* futuri esse dicantur: negari non
 „potest, *ceteri* nomine aliquid amplius, quam *statum*, nempe
 „etiam certam aliquam sedem indicari *Ioan. XII. 26. XIV.*
 „*2. 3. XVII. 24. Phil. I. 23. 1 Thess. IV. 17. Apot. VII.*
 „*9. 15. 17.* Ubi autem hæc sedes sit, curiose inquirere, opus
 „non est (1) ... Atque huic sententiæ nos quoque subscri-
 bimus.

(1) Vid. eiusdem *positiones theolog. loc. LXIII. §. 1023.*
p. 534. Mirum sane videtur, fuisse viros alias doctissimos,
 qui adseruerint, beatos in vita æterna non amplius indige-
 re *loco*, aut spatio corporeo. Hoc enim ipsam naturam
 corporum evertit: nam ubicunque sunt vera corpora, ibi
 est verum spatum corporeum. Nec dubitamus adserere,
locum istum beatorum a Deo esse *creatum*, neutiquam au-
 tem increatum. Solus quippe Deus a se ipso est, &, quid-
 quid extra Deum existit, illud a Deo, & quidem intra he-
 xaëmeron, conditum fuisse constat.

§. XXXII.

Licet vero, prout in präcedenti paragraphe iam fuit ob-
 servatum, opus prorsus haud sit, ut in situm cœli beatorum,
 curiosius inquiramus, non desuerunt tamen nostra präsertim æ-
 tate, qui variis hec indulgere coniecuris haud dubitarunt. In
 hancce classem haud immerito referri potest THOMAS BUR-
 NETUS, scriptor Anglus, supra iam a nobis laudatus (1).
 Existimavit is, valde probabile esse, „sedem beatorum fore non
 tantum supra orbem lunæ; sed & omnium planetarum atmo-
 sphæras, aut umbras, in regionibus illis æthereis, ubi lux peren-
 nis, sine nocte, quoniā sancti *in cœlis habitaculum, haeredita-*
tem in luce habituri dicantur, *2 Cor. V. 1. Coloff. I. 12.* Cum ve-
 ro Schechinah, (iudaico scilicet sensu intellectum) five gloriosum

M 3

Chri-

Christi corpus occupet orbem quendam cœlestem radiosque ac lumen suum, novi sideris instar, dispergat, iuxta hanc Christi sedem beatos habitaculum suum habere, adserit. Adducit hanc item verba optimi servatoris: *pater, quos tu mihi dedisti, volo, ut, ubi ego ero, ii quoque sint mecum: ut meam videant gloriam, quam tu mihi dedisti.* Alii, quando servator alio loco pronuntiat: *in domo patris mei multae sunt mansones.* Ioann. XIV. 2. æquitati congruum esse iudicat, si supponatur, quemlibet sanctum, vel sanctorum cœtum pro ratione suæ puritatis ac perfectionis proprius ad Schechinah, sive ad solium gloriae, suam habiturum esse stationem (2)». Hisce de loco & sede beatorum præmissis, ad eorum statum, qui pariter nomine cœli comprehendatur, progreditur, puta genus & modum felicitatis, qua in his sedibus æthereis fruituri sint sancti. Hanc ubi explicare adgreditur, animæ beatæ perfectionem hisce verbis edisserit: *Omnes ipsius facultates adolescentur, Et ad summam perfectionem adspirant in illo statu. Sensus, affectus, mentisque operationes omnes fiunt vegetiores, ad maiora etiam & illustriora obiecta terminantur. Non deerunt in primis nova & admiranda obiecta ad occupandos sensus externos, cum supra omnes planetas elati, mundanum oceanum intuebimur, & nantes in vaslo gurgite innumeros terrarum orbes suis incolis repletos. Acies enim oculorum, vel facultas visiva suo modo constituta & ordinata, omnium speciilorum superabit vires, & obiecta multo maiora & remotiora attinget & complectetur, quam quae discernimus in hoc crasso aëre.* Dein cum stellas fixas contemplabimur, perennes calorum ignes, tot soles prodigiosae magnitudinis, innumerabiles praeterea & repetitos usque & usque per immensa aetheris spatio; quam voluptatem, quos animi motus excitabit hic complicitus universi? Magnus est Deus, Deus noster, universitas rerum auctor & opifex! Heu, quam sordet terra, cum hoc cœlum adipicio. --- Denique praeter magnificentiam operum Dei, eximia erit pulchritudo in facie cœlorum, si stellæ instar tot gemmarum diversi ordinis & generis diversæ

diversa gloria & variis coloribus fulgeant. Dum in confinis
 & commissuris orbium, radiis varie refractis, novae lices &
 irides & multiformes species & splendores exoriantur, quales a
 propheta distinguuntur in civitate sancta, Apoc. XXI. 18, 19, &c.
 Illud praeterea adiiciendum, cum stationem aut sedes nasci fuer-
 rimus in regionibus illis aethereis supra omnes planetas, non he-
 mispherium tantum aut dimicium caeli, ut hodie, sed sphaeram
 integrum & magni mundi ambitum & amphitheatrum simul spe-
 ctabimus, palatium magni regis cum suo adparatu & supelle-
 stile splendiſſima. Quid tandem quantumcumque adiiciat huic
 celesti spectaculo divina Schechinah, non me penes est exprimere.
 Nemo non videt, multa heic dici a BURNETO, qua ad res
 corporales ac naturales, quin ad hypotheses mere precarias per-
 tinent. Sed subiungit vir doctissimus & alia lectu haud indigna,
 ostenditque quomodo in contemplatione Dei eiusque amore sum-
 ma animabus in celis oritura sit beatitudo (3); quæ vero, utpo-
 te longiora, ubi ad finem iam nobis properandum est, heic
 prætermittimus.

(1) Vid supra §. XXXII. p. 81, 82.

(2) Vid. BURNETI librum loc. cit. adlegatum p. 178.

(3) Sententiam BURNETI copiosius edisseruit Jo. MAR-
 CCIUS in expectatione gloriae futurae Iesu Christi libr.
 III. cap. XI. §. 3. p. 755. Conferenda etiam, quæ supra
 §. XXXII. p. 81. seqq. hanc in rem diximus.

§. XXXIII.

Restant equidem & alia, eaque haud pauca, quæ tractationi
 huic historicæ addi merentur. Possemus verb. grat. AUGUSTINI
 STEUCHI, Eugubeni (1), celebris inter Romanenses theologi,
 itemque CONRADI VORSTII (2), IO. CRELLII, IO.
 VOLKELII, aliorumque SOCINI sectatorum de celo beato-
 rum cogitata copiose heic edisserere. Possemus varias quaſſiones,

a G A-

a. GABRIELE DE HENAO, societatis Jesu theologo motas (3), easque partim curiosas, partim absurdas, data opera recensere. Possemus & multa alia, quæ partim de natura atque essentia, partim de origine & loco, partim vero de adfectionibus huius sanctorum habitaculi, tum antiquiori, tum recentiori hocce ævo fuerint disputata, heic commemorare. Verum, quum ea, quæ de argumento hoc, eoque amplissimo, dici poterant, pagellæ hæ haud capiant, lectores nostros ad ea, quæ G ISBERTUS VÖÖTIUS, theologus Ultraiechinus, de eodem commentatus est (4), remittimus, atque scriptoris filum heic abrum-pimus.

(1) Vid. STEUCHUS in sua *cosmopœtia*, quam vero index expurgatorius hispanicus, inquisitionis consilio ann. MDCXII. excusus, prohibet.

(2) Vid. VORSTIUS in *antapodixi I. advers. Jesuitas Monasterienses* p. 127. coll. cum *disput. apolog.* p. 67. & cum *exegesi apolog. cap. XIX.* itemque cum libro *de Deo* p. 221, 289, 233.

(3) Edidit hicce theologus *empyreologiam, seu philosophiam christianam de empyreo caelo* ann. MDCLII.

(4) Scriptit VÖÖTIUS *distributam de caelo beatorum, quæ fasciculo rariorū ac curiosorum scriptor. theolog.* p. 865. seqq. fuit inserta.

F I N I S.



65 HISTOR DAGO. D' VITA ETET

SIRABES ET ELEPHANTES AFRICANIS, PROXIMIS DE MATORIIS,
casove parvae cationes, parvae abstrusae, durae et rufa rufemore.
Panthus ex multis aliis, que partim de natura sanguinis,
partim de origine ex loco, parum vero de adveniensibus hinc
convenientibus aliisque, sunt principios, cum recentioris novitatis
accordis exponere, ut contemporanea Virgilia, omnis cuius
de monumento hunc, quoque amplissime, dicit posse eam quod
haec haud rapiente lectorem metebat ad ea, quae te secesserunt
modius, medicorum lumen, hunc, ut ex nomine quidam adiungitur
et (+), remittantur, quoque ceteris, hinc, quod agitur
gravis.

(2) Vnde Rhea sive Cyanea, auctor, quae ex parte Asiae
provenientia latitudine, magnitudine et magnitudo, VENACIA,
exclusus, prohibetur.

(3) Vnde Voritius et Rhenanus, Lector, hanc illam

admodum rufam, non tam auctor, sed etiam philosophus

ex Gallo, et expedito amico, MLI, p. 14.

(4) Serlio Vnde ex eius statu de rebus Antiquis, que la
famula perierunt, et ex parte, fortiori, inveniatur p. 327, libro
tunc nullo.

F 1 2 2

Jg 4881


ULB Halle
006 309 836

3





IOANN. FRID. COTTÆ
THEOLOGI TUBINGENSIS
HISTORIA SVCCINCTA
DOGMATIS
DE
VITA ÆTERNA



T U B I N G Æ
SVMTV IOANN. GEORG. COTTÆ
MDCCCLXX.